DAN. WILH.

TRILLERI,

PHILOSOPH. ET MED. DOCT.

Archiatri Naſsovici ſuccincta Commentatio

DE

PLEURITIDE

EJUSQUE CURATIONE

ADJECTIS SIMUL X. SINGULARIBUS Pleuriticorum Hiſtoriis, & Diſputatione de Pleuritide Æſtiva.

Non ungularum tanta vis latus fodit,
Mucrone quanto dira pulſat Pleuriſis. } Prudentius Periſtephan. X.

EDITIO SECUNDA VENETA.



VENETIIS, MDCCLIX.

APUD LAURENTIUM BASILIUM.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

VENERABILI SENI

ILLUSTRI ET EXPERIENTISSIMO VIRO

FRIDERICO HOFFMANNO

Consiliario Intimo, & Archiatro Regio Professori Medicinæ Primario, Comiti Palatino Cæs. diversarum societatum eruditarum sodali, solidæ & rationalis Medicinæ Instauratori; Viro non de erudito solum orbe, sed de ipso adeo humano genere longe Meritissimo, Fautori & Promotori suo, pio mentis obsequio colendo.

S. D. P.

DANIEL WILHELMUS TRILLERUS.



Plendido Tuo arbitrio, Vir illustris, submitto hic opusculum, Proxima fœtura apud me natum, mole quidem exiguum; si vero

ex materiæ dignitate & utilitate censeatur, justo suo pretio forsan omnino æstimandum.

Tractat enim haud perfunctorie de perniciissimo & perniciosissimo humanæ vitæ hoste, de sæva inquam pleuritide, quæ infesto turbine robustissimum quemvis subito prosternit, & nisi mox ab initio valide obviam eatur, ante diem ocyssime rapit & vitam in medio cursus sui spatio abrumpit. Hujus sævissimi mali genium & naturam dum per decennium & amplius, in quampluri-mis ægrotis paullo penitius perspicere & indagare licuit; has, quas vides, observationes practicas solidis fidæ experientiæ fundamentis superstructas, suasu amicorum, colligere & in ordinem redigere placuit.

Tuo vero illustri & celeberrimo Nomini ut inscriberem Libellum hunc qualemcunque, fecit & summa Tua, qua polles in medico orbe, auctoritas, & singularis in primis favor atque comitas, qua me semper a multis retro annis excipere dignatus es.

Ut enim taceam, mihi viginti abhinc annis, facultatem medendi Tuis auspi-

ciis,

ciis, fuisse concessam; tot tantaque præterea minime vulgaris Tuæ benevolentiæ in me immerentem extant documenta; ut ingratissimus omnium merito forem, nisi grata mentis testificatione publice declararem, quantum Tibi Vir maxime, Tuisque potissimum scriptis cedro dignissimis deberem.

Quidquid enim vel in his pagellis boni & fructuosi forsan reperiatur; me ex iisdem plurimam partem hausisse & gratus fateor, & lætus glorior: Quis enim, quæso, non in summa honoris & felicitatis parte merito ponat, inter tanti præceptoris discipulos censeri & ex Hoffmannianis Libris plurimum profecisse.

Accipe ergo tenuem hanc gratæ mentis piique obsequii tesseram ea fronte eoque animo, quo reliqua mea scripta tam poetica, quam litteraria, licet vix oculis Tuis digna, offerri Tibi passus es.

Faxit Deus supremus, ut Octogenario jam major, diu adhuc intersis famæ Tuæ per universum, qua patet, cultiorem orbem lætissime dispersæ, ne desit ægrotis solatium, Musis præsidium,

Medicis junioribus oraculum, & mihimet denique ipsi decus atque patrocinium. Ita vale, Venerande Vir, gloria magna medentum, mihique etiam absentu, favere, ut soles, perge.

Vive diu, mi Care Senex! pete sidera sero;
Est opus hoc terris; Te quoque velle decet.

LE-



LECTORI BENEVOLO

S.



Uæ de Pleuritide ejuſque curatione hoc Commentariolo ſtrictim explicata vides, mi Lector, nec antiqua plane eſſe ſcito, nec nova prorſus; ſed potius nov-antiqua, ſive antiqua in uſum hodernum reducta & nova quaſi incude recuſa.

Niſi enim Hippocrates omnium optime & accuratiſſime de hoc exitiabili morbo ſcripſiſſet, niſi eum poſtea ſequuti Aretæus, Alexander Trallianus, Cælius Aurelianus, Cornelius Celſus, paucique alii ſaluberrima ſanandi præcepta & præſidia tradidiſſent; nos forſan adhuc in ſpiſſiſſima nocte caligantes reptaremus, aut per deſerta & inhoſpita teſqua errabundi vagique palaremur.

Nam quæ poſtea Galenici & Chemici in primis magnis Voluminibus, nec minore faſtu, ſuæ nimirum Junoni ſive opinioni, nimium quantum inſervientes, commentati fuerunt, adeo uſque incerta, contraria immo & pernicioſa plerumque ſunt, ut Medicinam primum facturus, præ opinionum divortio, & indigeſta remediorum farragine, neſciat fere ſemper, quid eligendum, & quid ſequendum aut vitandum fuerit.

Hæc igitur apud animum perpendens meum, quum mihi crebra pleuriticos tractandi occaſio ſubnaſceretur; (regnat enim in his regionibus Rhenanis, ſive cœli algentis, procelloſi & in omnes tempeſtates expoſiti vitio, ſive diætæ vinoſæ, ſive alius nobis inco-

ncognitæ causæ culpa, tetrum hoc morbi genus frequentius; quam in Saxonia, ubi quondam Medicinam exercui,) nihil prorsus horum pensi habui; sed relictis potius omnium opinionum Commentis & sterilibus Doctorum Cathedris, solius Naturæ vestigia, ab Hippocrate ejusque assectis studiose pressa, religiose observanda censui, donec crebro usu & multiplici experientia paullatim addiscerem, quæ atrocis morbi indoles, quæ caussa, quæ origo; quibusque telis & medelis vitæ hunc insidiatorem ferocissimum debellare liceret.

Ex ægrotorum ergo Lectis plus cepi utilitatis, quam ex diligentissimis innumerorum Librorum Lectionibus; ita, ut hinc fere cum Mario apud Sallustium, paucis quidem immutatis, pronuntiare possem, nisi gloriosum nimis & invidiæ opportunum videretur, quæ illi audire & legere solent, eorum partem vidi & gessi; quæ illi litteris, ea ego experiundo didici; nunc vos existimate, facta an dicta pluris sint?

Hunc enim in modum in omni hoc Commentario componendo me exhibui, quasi solus & primus essem, qui de pleuritide aliquid conscriberem; licet me nequaquam fugeret, plaustra fere librorum & Dissertationum extare, quibus ad nauseam fere usque, de morbo hoc tractatum fuerit, ut vel ex solo Lindenio per Mercklinum renovato ut & Mangeti Bibliotheca Medica abunde constat.

In promptu igitur caussa est, quare tam exiguum potius Libellum conscribere maluerim; quum magnum, immo maximum & plusquam unum Cæsaris Anti-Catonem protrudere potuissem. Si enim omnia illa vasta commentaria, quæ antehac certatim quasi de hoc funesto morbo condita fuerunt, excerpere & in Compendium mittere placuisset bone Deus! quantæ molis quantique ponderis volumen immo Volumina conflare licuisset! Sed nolui, quia de humano capite agebatur, aliena scrinia impudenter compilare; Verum meis potius oculis fisus, ea tantum in medium adferre animus fuit, quæ certa fide & explo-

rata

sata experientia niterentur & non leve in praxi ipsa emolumentum præstarent. Pertædebat quippe, aliorum commenta commendare; sed propria potius experimenta exprimere allubescebat; ut scilicet Tirones medici sic haberent exemplum aliquod si non magnum atque illustre, at fidum tamen atque verum, quod in ipsa dubia arte medicinali faciunda, tuto, cito & jucunde aliquando sequi possent.

Oportet enim in hac re maxime, in qua vitæ & sanitatis ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio ac propriis sensibus niti ad investigandam & perpendendam veritatem; quam credentem alienis erroribus decipi, tanquam ipsum rationis expertem, ut Vir gravis & sanctus quondam acute dicebat.

Interim eximia sua laude defraudandi hic minime sunt summi in arte salutari antistites, Thomas Sydenhamus, Georg. Baglivus, Hermannus Boerhaave, & qui ingenti boni publici commodo, unus per Dei gratiam adhuc superat, Fridericus denique Hoffmannus, Viri religiose potius tacendi, quam leviter nimis loquendi; quippe qui Hippocratis, immo ipsius potius Naturæ vestigiis presse insistentes, plurimum mihi profuerunt ad indagandum verum, & in prædictionibus rite formandis medendique arte multum mihi lucis prætulerunt, & titubantem hinc inde me magis confirmarunt.

Reliqui enim, quos absoluto hoc meo opusculo, demum evolvi, numero quidem haud pauci, viam; qua ad veram solidamque medendi methodum auspicato iretur, aut plane non viderunt, aut per transennam saltim visam timuerunt calcare, aut leviter denique calcatam mox turpiter iterum deseruerunt.

Inspexi igitur eos ideo potissimum, ut discors ipsorum concordia me plenius edoceret, quid vitandum potius esset, quam quid imitandum: ex frivolis enim atque pertinacibus eorum contradictionibus & tortuosis ænigmatis solidi quid verique elici posse, jam diu spem omnem abjeceram merito: Fecistis probe, exclamabam, incertior sum multo, quam dudum.

Ceterum in recensendis pleuriticorum Historiis nemo

mo quæſo demiretur, quod vel minutiſſima quævis paullo ſcrupuloſius perſequuti fuerimus: quin potius ſciat, ideo illud a nobis factum, ne quid facile prætermitteretur, quod ad Morbi hiſtoriam accuratius pernoſcendum ullo modo faceret, qua in re luculenter nobis præluxit Hippocrates Batavus, Hermannus Boerhaave, & ante eum Thomas Sydenhamus cum pauciſſimis aliis.

Quod tamen ego ſic accipi volo, non tanquam hos magnos viros aſſequutum eſſe me crederem; ſed tanquam aſſequi laboraverim, fortaſſe non fruſtra, ſi ad affectum meum quis potius reſpexerit, quam ad effectum.

Sed nolo Te diutius, amice Lector, per ſpatioſas ambages & longa exorſa tenere; hinc jam demum Vale, meiſque conatibus in publica commoda hactenus ſuſceptis, & in eadem impoſterum ſuſcipiendis; bene velle perge.

Induxi Te ad legendum; ſincerum mihi
Candore noto reddas judicium, peto.

CON-

CONSPECTUS

Omnium capitum hoc Commentario comprehenſorum.

NOI

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. *F. Gio. Paolo Zapparella*, Inquisitor Generale del Santo Officio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Danielis VVilh. Trilleri &c. de Pleuritide ejusque curatione, ac de Pleuritide Æstiva &c. p. S. e p. MS.* non v'esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi concediamo Licenza a *Lorenzo Baseggio* Stampator *di Venezia*, che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 7. Settembre 1759.

(Alvise Mocenigo Rif.
(Marco Foscarini Kav. Proc. Rif.
(Francesco Morosini 2. Kav. Proc. Rif.

Registrato in Libro a Carte 19. al N. 113.

Gio. Girolamo Zuccato Seg.

Addì 7. Settembre 1759.
Registrato al Magistrato Eccell. della Bestemmia.

Gio. Pietro Dolfin Seg.

APHO-



APHORISMI
PATHOLOGICO-SEMIOTICI
DE
Pleuritide Generales.

I. PLeuritis vera (alia enim eaque benignior est notha vel mendax, de qua hic nobis sermo est nullus,) sive Morbus lateralis, est febris acuta cum dolore pungente acerrimo unius vel alterius, vel utriusque lateris, cum respiratione difficillima & tussi asperrima, orta a subita sanguinis stagnatione æstuosissima, in membrana pleura & musculis vasisque intercostalibus, vel ab aere frigido post æstum & fatigationem nimiam inspirato, vel a singulari cęli nocentis intemperie generata, quæ, propter viciniam, mediastinum ipsosque pulmones simul in consensum rapit & simili labe incensiva contaminat.

II. Vel quæ vice versa, prius in vasis bronchialibus & externa superficiali pulmonum parte oborta, pestiferum postea contagium spargit in contiguam pleuram pectus intus succingentem & musculos simul intercostales cum vasis suis sanguiferis.

III. Vel quæ uno eodemque temporis puncto, (quis enim hæc accurate satis definire ausit?) & thoracem cum suis membranis & musculis, & ipsos adeo pulmones subito corripit & fœda labe caustica corrumpit.

IV. Sufficit certe, non pleuram solum affici, quod hactenus quidem temere creditum; sed ipsam quoque

pulmonum substantiam simul infectari, quod unicus Medicinæ ocellus, Anatome, docuit luculentissime.

V. Duplex vero est pleuritis, vel humida nimirum, vel sicca.

VI. Humida mox a primo accessionis die, multa sputa spumosa striis tamen sanguineis distincta egerit, & benignior est altera, quamvis nec omni vacet periculo.

VII. Sicca vero, præter molestissimum excreandi & tussiendi conatum; pauca spumosa, aut nihil prorsus rejicit, & hæc priore longe periculosior.

VIII. Tertiam quidem pleuritidis speciem ex Galeno addit Bartolettus, quam stertorosam, sive morosam & perniciosam appellat: (ipse Galenus perquam significanter vocat ἀπεπτοτάτην, quasi dixeris *incoctissimam*, si liceat quidem ὀνοματοποιεῖν) qua vero nihil prorsus excreatur, & ne tussiendi quidem conatus præsto est.

IX. Hæc quidem omnium est atrocissima & periculosissima: Indicat enim omnem thoracis testudinem cum ipsis pulmonibus intus contentis ita tensam & spasmo constrictam esse ab congesto ibi & congelato quasi sanguine, ut vis contractrix & expultrix omnis plane cesset, certissimo indicio, mortem jamjam in propinquo fore.

X. Quoniam tamen hæc pleuritis infausta tantummodo siccæ est progenies, exinde potissimum subnata, quando scilicet sicca nec spontaneo Naturæ beneficio, nec tempestivo artis salutaris subsidio, adauctis subinde letiferis viribus, & Natura morbi ferociæ plane succumbente, in mortem tendit gangrænosam; ideo huic distinctioni plus inanis subtilitatis, quam solidi fundamenti, subesse merito censemus.

XI. Ceterum pleuritis in omne hominum genus impune sævit sine distinctione.

XII. Plus tamen mares infestat, quam fœminas, adnotante quoque Cælio Aureliano.

XIII. Ex illis juvenes magis & stata ætate viros, quam senes.

XIV. Ex his rursus gracilentos & siccos magis, ob

vasa

vasa nempe sanguifera ampliora, quam obesos & humidos, propter vasa angustiora & depressiora.

XV. Minus vero, qui acidum ructant, quia nempe habent vasa debilia; sanguinemque tenuem, fluidum, nec facilem inflammari.

XVI. Omnium minime infantes, ob nimiam, ut videtur, corporis tenelli, fluxi & perspirabilis laxitatem, acute observante Aretæo.

XVII. Vidi tamen puellam IX. annorum a sæva pleuritide subito raptam, quæ forsan tamen servari potuisset, nisi parentes crudeliter misericordes opportunam sanguinis missionem, præter rationem, nimium reformidassent.

XVIII. Frequentissime contra in eos acrius sævit pleuritis, qui duro atque impuro victui, ut fructibus leguminosis carnibusque & piscibus salitis & fumo induratis, potuique spirituosiori, præsertim vini spiritui, plus justo per vitam sunt adsueti.

XIX. Hinc venatores, milites, olitores, rusticos, cursores, aurigas, equisones & id genus ex ima cavea aliquos sæpenumero pleuriticos fieri certa fidaque experientia constat.

XX. Fœminas autem ubi corripit dirum hoc malum, tum majores plerumque Tragedias excitat, quam in viris.

XXI. Dextrum ut plurimum latus obsidet, & tum benignior est.

XXII. Sinistrum vero rarius adoritur; ubi autem contingit, tum in atrocius discrimen adducuntur ægroti, & morbus diutius durat, contrarium licet statuentibus Rufo, Rhase atque Avicenna.

XXIII. Sanguis pleuriticorum semper fere albidi lardi aut sevi ad instar, crassus, tenax & ita quasi compactus, ut vix discindi queat.

XXIV. Urina post quintum diem plerumque turbida, & subsidit, alias flammea, liquida, cruda, sine snubecula aut sedimento.

XXV. Quibus per totum morbi decursum urinæ non subsidunt, ii majore in periculo versantur, crisinque expectare debent difficiliorem, nam serius judicantur.

XXVI. Dies critici plerumque ſunt Quintus, Septimus, Nonus, Undecimus, Decimus quartus, tandemque Vigeſimus. Tum enim vis morbi acrius exæſtuat, & adjuvante Natura, vel in ſalutem tendit, vel eadem fatiſcente, in mortem, aut in tabificum empyema:

XXVII. Diarrhœa ab initio morbi ſuperveniens periculoſa admodum & plerumque, non tamen ſemper letifera eſt; *paſſionis enim magnitudinem docet*, ut loquitur Cælius Aurelianus.

XXVIII. Sed eadem in morbi progreſſu & mitigatis jam ſævioribus ſymptomatis, ſuccedens, ſalutaris eſt, & ægrotum citius ad ſanitatem perducit, qua de re exempla notatu digniſſima litteris conſignarunt Valleriola, Panarolus & alii plures.

XXIX. Rariſſime, immo plus dicam, nunquam fere moriuntur, quibus poſt venæ ſectiones, dolor laterum in claviculas & omoplatas protenditur aut in dorſum propagatur. Quod ſane bene notandum, ad prognoſin rite formandam, ægroto quidem gratam atque acceptam, Medico vero honorificam & glorioſam.

XXX. Licet poſt peſtilentialem febrem, hæc pleuritica omnium fere atrociſſima ſit, hominesque citiſſime jugulet; tamen ſi naturæ opportune & mox ab initio debite ſuccurratur, morbique violentiæ intrepide obviam eatur; nullus ferme eſt morbus qui promtius ſe ſubjugari patiatur, & exactiorem criſin ſervet, quam hæc ipſa febris pleuritica. Sed ὀξεῖς καιροὶ, nullum enim momentum, nullum inquam, temere eſt negligendum.

XXXI. Crebrius corripiuntur pleuritide qui ſemel eadem decubuerunt: plerumque etiam dyſpnœa laborant & anhelitu, quod pleuritidem paſſis vel unus vel utrique pulmonum lobi pleuræ adhæreſcere & connaſci ſoleant, quod pleuriticorum Anatome & Bonetum docuit, & me ipſum.

XXXII. Sanguis pleuriticis a primo decubitus die, uſque ad quartum haud excluſum, cito, crebro & copioſe mitti debet: Si vero ſæva vis morbi urgeat ægrique vires permiſerint, etiam ad ſeptimum, quin

& in

& in octavum adeo usque diem venæ sectio cum fructu institui potest: quod tamen cautissime & cum grano salis, quod dicitur, vel maxime capiendum; nec temere & præter summam necessitatem, audendum aut tentandum.

XXXIII. Purgantia remedia, etiam mitissima & alias innocua, valde tamen plerumque in pleuritide nocere turbasque ciere deprehensum est.

XXXIV. Enemata contra blanda, abstergentia, antiphlogistica, modice adhibita valde prodesse compertum est.

XXXV. Pleuritici, quibus intra primum & quintum diem, sanguis purpureus floridusque affatim e naribus profluit, naturæ beneficio plerumque servantur, etiamsi neglecta fuerit in tempore sanguinis missio. Par judicium esto etiam de hæmorrhoidibus, quippe quæ uberius manantes morbum solvunt & lætam salutem denunciant.

XXXVI. Quibus vero post id tempus cruor niger, piceus quasi & viscidus, etsi copiose, e nare destillat, isti nec levaminis quid sentiunt, nec superstites facile manent: Meningum enim ipsiusque cerebri funestam gangrænam jamjam instare, triste indicium est. Nec aliud sane portendit sanguis tum per inferius guttur copiose exturbatus, nihil enim indicat aliud, quam totum intestinorum tractum ferali gangræna jamjam esse corruptum.

XXXVII. Pleuritici, qui elapsis prioribus diebus, & neglecta prorsus legitima medicatione, venæ præsertim sectione, nihil amplius mali persentiscunt, nihilque plane dolent, nisi quod unum alterumve hypochondrium elevatum & prætumidum fuerit; hi subita præter opinionem metastasi facta, intra paucos dies, immo horas, suffocantur.

XXXVIII. Significat enim, ingentem sanguinis corrupti putridique vim jamjam in pectoris cavum effusam fuisse, & pulmones purulento quasi cataclysmo submersos, officio suo respirationis amplius legitime defungi haud posse, unde mors inevitabilis.

XXXIX. Abscessus pleuriticis aut pone aures, aut ad pedum talos, aut sub axillis, aut alibi in corpo-

re obortos & cocto albidoque pure repletos pro optimo salutis signo habendos esse, frequenti experientia compertum est. Indicat enim sanguinem corruptum benigno potentis naturæ munere, ab interioribus partibus nobilioribus, versus exteriora minus nobilia, sic saluberrime esse eliminatum. Sed rarum hoc est ancepsque Naturæ molimen.

XL. Simul tamen exinde perspicue patet, ægrotos ab initio haud rite tractatos, & venæ sectionem vel plane omissam, vel non satis crebro, justaque & sufficienti copia, fuisse administratam.

Aphorismorum Pathologico-semioticorum Generalium Finis.

CAPUT PRIMUM.

De sede, natura, ortu, & tempore Pleuritidis in genere.

I. PLeuritis quid sit, & unde ortum ducat, paucis indicatum Aphorismis prioribus, proxime præcedentibus.

II. Nempe stasin sanguinis in rapidam inflammationem exardescentem supponit in vasis pulmonalibus sanguiferis subito obortam, quæ sua labe inficiunt simul externam membranam pulmones undiquaque ambientem, quæ est propago membranæ crassioris pleuræ; unde ipsa pleura necessario simul inflammatur cum musculis mesopleuriis & vasis intercostalibus; immo cum ipso nonnunquam septo transverso s. diaphragmate, ut ex singulari historia patet, quam refert Heurnius, αὐτόπτης, ad Aph. Hipp. 24. Sect. V. p. 351. add. Baron. Lib. I. de pleuripnev. cap. 27.

III. Inde falso a sola pleura vocatur pleuritis: multos enim pleuriticorum periisse, quibus soli pulmones, salva tamen pleura, inflammati, pure repleti, & pleuræ plerumque adnati fuerint, optima & fidissima magistra, Anatome, clare testatur, & ex hac

hac Baronius, Sennertus, Riverius, Platerus, Zecchius, Jul. Cæſ. Benedictus, Jo. Faber, Gotofr. Voglerus, Bonetus, Boerhaavius, & Hoffmannus, præſertim vero Petrus Servius, qui in trecentis, quod jure mireris, pleuriticis Romæ, poſt mortem diſſectis, ſemper unum pulmonis lobum corruptum materiaque putrida turgidum, intacta tamen, aut leviter ſaltim vitiata pleura, deprehendit, ceu ex ipſo refert ſummus Vir, VVelſchius, & ex eo laudatiſſimus Hoffmannus, in immortali opere de Medicina Syſtematica, Tom. IV. Sect. II. Cap. 6. pag. 426. cujus & conferri hic omnino meretur præſtantiſſima Diſſertatio de Pleuritide & Peripneumonia, ante aliquot annos habita denuoque ex merito recuſa. Immo id ipſum jam dudum ex antiquis ſagaciſſime odorati ſunt Euriphon, Evenor, Praxagoras, Philotimus & Herophilus, ceu obſervavit Cælius Aurelianus, Capit. 16. de Acut. Morb. Libr. II. ubi hanc in rem plura notatu digna, qui nec ipſe a probabili hac opinione alienus fuit, ut ex antecedentibus patet.

IV. Nec ſolam pleuram cum muſculis & vaſis intercoſtalibus matrem eſſe poſſe tam funeſtæ ſobolis, tuſſis, ſputum cruentum, difficilis reſpiratio & in fine morbi cocta & ſalutaria pectoris ejectamenta maniſeſtiſſime, putem, declarant

V. Licet enim per ſe affatim conſtet, & pleuram & muſculos intercoſtales plurimum omnino conferre ad reſpirationis negotium; ex ſola tamen eorundem læſione nec tantam dyſpnoeam, nec pertinacem tuſſim, multo minus vero ſputum cruentum aut purulentum unice derivari poſſe jure cenſendum eſt.

VI. Patet ergo hinc, opinor, luculentiſſime, quam affines atque congeneres ſibi ſint pleuritis & peripneumonia, ob vicinitatem nempe & cognationem partium, ita ut vis eſſe poſſit pleuritis ſine peripneumonia, licet hæc quandoque abſque illa oriri queat, ut jam acute obſervavit Hippocrates, licet perperam negaverit Freindus, rectius omnino affirmante & de-

monstrante Hoffmanno modo laudato. Inde vere, licet nonnihil barbare, scripsit Cælius Aurelianus: *Qui in augmento pleuriticæ constituti passionis, proni atque faciles in peripneumonicam videntur.*

VII. Nulla igitur vera pleuritis acuta, nimirum febre & flagrantissimo æstu comitata, (aliud enim est pleuritis pituitosa sive rheumatica, serosa aut catarrhalis, febris plerumque expers, observante egregio Lommio,) me quidem judice, sine peripneumonia, vera tamen peripneumonia interdum, etsi raro, sine pleuritide. Inde & utrique morbo eandem fere medendi rationem convenire, post Hippocratem, Aretæum, Cælium Aurelianum, Theodorum Priscianum aliosque plures, quotidiana experientia recentiores docuit Medicos, quorum Libri videri debent.

VIII. Inde longe accuratius, meo quidem arbitratu, procedunt, qui pleuritidem potius pleuripneumoniam vel peripneumopleuritidem appellarunt, quod primus, nisi fallor, fecit Vincentius Baronius, qui doctum & elegantem Tractatum ea de re composuit, ut notum omnibus artis medicinalis cultoribus.

IX. Hæc vero, quam innui, inflammatio acerrima vasorum bronchialium, pulmonalium & intercostalium omnino præsupponit sanguinem viscidum, tenacem, filatim tractuosum, in coagulum facile coeuntem, & ad ejusmodi concretiones polyposas concipiendas jam prædispositum.

X. Propterea pleuritide frequentius corripiuntur, aut qui lauto nimis artibusque coquinariis & convivalibus corrupto, hinc inde piperato variisque aromatis acribus condito, aut pravo denique, salito, fumo indurato, similique dyspepto victu nimium crebro utuntur, una cum potu viscoso & spirituoso v. gr. spiritu frumenti aut vini, aut vinis conditis & facticiis ad præcipitanda mortalium fata repertis.

XI. Hinc viatores, venatores, milites, rusticos, cursores, olitores, equisones, muliones, stabularios, bajulos, operarios & id genus alios duro de semine natos vitamque misere sordideque tolerantes frequentissime in pleuritin incidere constat.

XII.

XII. In primis ubi concalefacto nimis corpore, properantius currendo, aut ad sudorem usque sese fatigando, plurimum aeris gelidi & mordentis inspirando inter anhelitus hauserint, unde eo citius sequitur sanguinis æstuantis stagnatio, & mox inflammatio, & ex hac demum putrefactio & gangræna.

XIII. Inde nunc patet clare, unde primulo & frigidiusculo vere, item morboso autumno, & rigida in primis hieme, pleuritides frequentius sæviant. Frigus enim omnes liquores congelascere assuetos facilius inspissare & coagulare, notissimum cuivis est ex oleo, aqua, vino aliisque liquidis, quæ oborto intenso frigore stare & crassescere solere vulgatissimum est. Labentes enim hiems durat aquas & flumina nectit, ut poeta haud inepte quondam cecinit.

XIV. Frustra vero atque ridicule plane, ut id obiter moneam, acidum hic incusatur ab Helmontio, Jac. van-Hadden, Sylvio aliisque, qui in verba horum Magistrorum temere jurant, & ad quos stultitiæ transiit hæreditas, ut cum Lactantio loquar. Insons enim prorsus bonum illud acidum, quia mere immaginarium & in solis frebriculosis horum cerebris natum. Illa enim subita inflammatio non ideo oritur, quia acidum in sanguine peccat; sed quia sanguis impurus, spissus, viscosus & polyposus ad ejusmodi stases æstuosius inardescentes induendas a variis caussis jam aptus & prædispositus est.

Si enim acidum re vera in caussa esset; ii sane omnium maxime pleuritide infestarentur, qui acidum ructant. Nunquam vero eos pleuriticos fieri, qui acidum ructant, docuit, experientia præeunte, Hippocrates, Aph. 33. Sect. VI.

Sed illa fatua Helmontii, Sylvii, Svvalbi & aliorum nonnullorum de acido commenta delevit jam dudum dies, qui illa jam retulit in melius, viam nimirum rectiorem solide monstrantibus viris summis, Bohnio, Bergero, Boerhaavio, Freindo, Sydenhamo, Hof-

Hoffmanno, Baglivo, aliisque magnis artis salutaris nominibus & numinibus.

XV. Nusquam enim adhuc usu comprobatum fuit, remedia sic dicta antacida præstitisse quidquam ad obtundendum acutum pleuritidis telum, ut Serenus Sammonicus eleganter ait, manifesto haud dubie indicio, caput morbi in acido nequaquam esse situm, atque hinc medicamentis acido oppositis incassum plane oppugnari.

Sed in ejusmodi syrtes & brevia, maximo profecto humani generis incommodo & periculo, ii potissimum præcipites ruunt, qui tuto & obvio naturæ itinere temere & superciliose repudiato, fumum potius & inania sectantur, & per chemica tormenta atque furnum docimasticum morborum genium & originem accuratius indagare vano consilio & infausto successu, allaborant, unde promerita in ipsos ignominia, immeritum vero in ipsam Medicinam ludibrium, & certissimum denique damnum in miseros ægrotos redundet, necesse est. Sed de his hactenus! ad alia enim eaque certiora & utiliora jam transire lubet.

CAPUT II.

De summa venæ sectionis necessitate, usu & efficacia in pleuritide.

INter cognitos nobis familiaresque morbos haud facile quisquam occurrit, (excepta sola truculentissima pestilentia,) qui aut velocius decurrit, aut violentius urget, aut citius denique enecat, sæva pleuritide.

II. Sed nullus pariter morbus, ubi rite tractatus fuerit, aut legitimæ medendi methodo promptius auscultat, aut se facilius pacari & debellari patitur, eadem ipsa pleuritide.

III. Non pretiosa autem aut operosa, speciosis titulis splendida & longius petita sunt remedia, quibus absolvi potest felicis curationis negotium; sed potius facile parabilia, obvia, domestica & pretio quidem

dem vilia; pondere vero atque efficacia egregia prorsus & vix satis æstimanda.

IV. Nimirum scalpellum phlebotomum, aqua, acetum, mel, nitrum, hordeum, oleum & paucissima alia, illa sunt arcana & magnifica polychresta, quæ omnem hic absolvunt paginam, & ad debellandam & compescendam pleuritidem plane pleneque sufficiunt.

V. Ordiamur jam a Venæ sectione, hæc enim sacra quasi est anchora, ad quam unice confugiendum in hoc morbo, & a qua sola, sola inquam, omnis pleuriticorum salus pendet. Hac enim mox ab initio mali sat cito, crebro & large administrata, omnis ferocientis morbi vis illico perit & malum in ipsa quasi herba penitus suffocatur. Eadem contra aut temere neglecta prorsus, aut parce nimis & timide instituta, ægrotorum salus de exigua spe pendet & in summum vitæ discrimen adducitur, licet omnis Medicamentorum apparatus in subsidium advocetur; Tunc enim, ut poeta belle canit, quæsitæque nocent artes: cessere Magistri Phillyrides Chiron Amythaoniusque Melampus. Irrita scilicet omnino, vana & inefficacia omnia erunt, splendide mendacibus licet titulis superbientia, si omissa quidem venæ sectione, adhibeantur; egregium contra præstabunt usum, si peracta eadem, rite & scienter applicentur.

VI. Atque in hac quidem medendi methodo nemo, credo, nobis facile movebit controversiam. Præluxerunt enim nobis lucidam facem, viam monstrante ipsis constanti natura & fida experientia, prælustria antiquitatis lumina Hippocrates, Galenus, Aretæus, Aetius, Cælius Aurelianus, Celsus, aliique, quos sequuti illustris famæ in Medicina Viri, Sydenhamus, VVillisius, Duretus, Hollerius, Ballonius, Barbette, Sennertus, Baronius, Tulpius, Ettmullerus, Langius, & nostra hac tempestate ingentes animæ Baglivus, Boerhaavius, Hoffmannus, & omnis medicorum rectius sentientium cohors in universum, ita ut eorum numerus iniri vix queat, nec necesse sit.

VII. Et qui poterant quæso aliter? quum unicum remedium ad compescendum sanguinis æstuantis fu-

ro-

rorem, ad stagnationes ejusdem hinc inde jam in vasis minimis factas reserandas, ad revulsionem salutarem promovendam, ad putredinem, puris generationem, sphacelum & gangrænam præcavendam, ad suffocationem arcendam, quæ mala conjunctim omnia in atroci pleuritide metuenda, & ad mille emolumenta alia, quæ enumerare jam non vacat, quum unicum inquam remedium, unicumque subsidium situm sit in sola tempestiva, commoda & satis larga Venæ sectione? qua verò neglecta, plerumque illud Sulmoniensis Vatis locum habebit:

--- --- pugnatum est arte medendi,
Exitium superabat opem; quæ victa jacebat.

VIII. Solus tamen, quod sciam, obstitit hic Helmontius, homo tristis, morosus, alienæ famæ contemptor, suæ nimium appetens, & in paradoxis fingendis & mordicus defendendis nimium quantum ingeniosus & laboriosus, adeo ut ea loqueretur scriberetque sæpius, quæ nec æger quisquam delirare, nec dormiens posset somniare, qui & sui & alieni sanguinis præter rationem nimium parcus, venæ sectionem præsertim in pleuritide, ceu pestem & venenum, fugiendam alta voce clamat; nescio quod sanguinis acidum stagnans & congestum in thorace somnians, unde meris antacidis & sanguine potissimum hircino omnem pleuritidis medelam plene absolvendam vane tradit: Obloquente contra experientia, ridentibus vero vespillonibus, quorum censum sua illa absurda medicatione ditavit largiter. Quid? quod ipse adeo decessit pleuriticus: nec priapus cervi, nec sanguis hircinus moram indomitæ morti afferre potuit. Nec sane tricenis hircis illacrymabilem Plutonem placare potuisset vanus hic vitæ longævæ promissor, haud verus possessor. Unde ipse suo tristi exemplo abunde probavit, quam inani spe ars sua conjecturalis & imaginaria ipsum inflasset, quamque parum præsidii in jactato adeo & celebrato nimis hirci sanguine esset repositum.

IX. Sed otii sui, patientiæ & rationis maximopere prodigus sit, oportet, quisquis in somniis hisce refel-

fellendis operam ingloriam sibi, lectori inutilem futuram impendere velit. Adeo levia enim, futilia, & volucria sunt, ut vel sua sponte in auras & fumos abeant, ut jam dictum a nobis paullo superius. Nemo enim, nemo profecto, sævissimum & insidiosissimum hunc hostem serio gloriosequе triumphaverit, nisi stricto ferro, vulnereque aliquoties inflicto res strenue agatur, victoriaque fuerit ad modum cruenta. Nam nihil, nisi *sanguis redimat populos*, ut cum Lucano loquar.

X. Certum igitur atque indubitatum est, sanguinem in pleuritide sine mora, sine cunctatione & metu, necessario esse mittendum. Verum quatuor nunc emergunt Quæstiones, ad quas, quia maximi sunt momenti & omnem rem plane conficiunt, paucis quidem, sufficienter tamen, respondere decet. Scilicet enitar, quantum res sinit, & diffusa substringere, & prolixa breviare, sic tamen, ut neque res ad copiam, neque claritas ad intelligentiam deesse videatur in hoc Capite, quo in lucem veritas vel maxime protrahenda est; ut si quis ad legendum expers veri & ignarus accesserit, instruatur atque intelligat, quod spes omnis vitæ ac salutis in sola Venæ sectione sit reposita, ut alicubi fere Lactantius loquitur.

XI. Nimirum quæritur jam, I.) Quando? II.) Quoties? III.) Ubi vena secari debeat? & tandem IV.) Quantum sanguinis sit profundendum?

XII. Quod igitur ad tempus attinet, quando nempe venæ sectio institui debeat, omnes in eo conveniunt illustres Medici supra laudati, unanimi consensu, & ratio ipsa experientiaque perspicue docet, quo recentius sit malum, qua integriores adhuc ægroti sint vires; eo melius, eo salubrius venæ sectionem peragi posse.

XIII. Optimum ergo atque saluberrimum est, si primo statim ægrotationis die venæ pertundantur; neque pejus, si altero fiat, aut tertio; quin etiam ipso adeo quarto, cum successu generosum hoc remedium tentari posse asserunt.

XIV. Hic vero omnes propemodum subsistunt, nec ulte-

ulterius progredi audent, deterriti nempe perperam auctoritate Galeni, Celsi aliorumque veterum, horumque sequacium e recentiore ævo; licet Praxagoras audentior hac in parte atque animosior, vel quinto adhuc die sanguinem detraheret, referente Cælio Aureliano. Dantur tamen casus desperati, ubi transmissis vel ægroti incuria, vel medentis ignorantia aut metu, sine venæ sectione his primis diebus, in casu necessitatis summæ, quum omnia jam conclamata videantur, & æger suffocationi miserrimæ proximus sit; audendum aliquid, atque tum anceps hoc, sed unicum venæ sectionis remedium in usum omnino vocandum.

XV. Ita me quinto, sexto, immo & septimo, atque adeo, quod mirandum, octavo die venæ sectionem imperasse, & ægrotos Dei auxilio, in limine pallentis Erebi jam constitutos in vitam quasi postliminio revocasse, patebit ex singularibus historiis infra scriptis, quas Deo teste, summa fide & integritate recensui, nihilque fictum admiscui, quia vitæ & salutis humanæ negotium agebatur.

XVI. Nemini tamen Auctor suasorque sum, ut simile temere adgrediatur, nisi ponderatis bene circumstantiis omnibus, & exploratis inprimis sollicite ægrotorum viribus, quas ex Calore corporis, respiratione & pulsus præsertim rhythmis, aliisque indiciis colligere licet, didicerit, an anceps hoc auxilii genus tentare commode salva sua conscientia & existimatione, & cum ægroti salute, possit. Alias enim neglectis his monitis & præcautionibus summe necessariis, ægroto mortem, sibi vero ignominiam certo certius procuraturus est.

XVII. Idem vero respondendum ad alteram quæstionem, quoties nempe incidenda sit vena? Toties nimirum eam aperiri debere affirmo, quoties dura vis morbi eam imperabit, & ægroti vires permittent, quod ex signis modo indicatis, respiratione præsertim & pulsu conjicere licet. Ter tamen, aut ad summum quater, venam secuisse nobis suffecit, ut ex multiplici experientia constitit, si nempe prima & secunda vice sanguis sat larga copia fuit eductus.

XVIII.

XVIII. Sed ipse sanguinis recens emissi color, habitus & consistentia clarissimum & fidissimum indicium medico in arte perito præbet, quoties necessitate urgente, repetenda sit venæ sectio.

XIX. Pleuriticorum enim sanguis simul ac refrixit, mox crusta alba unum sæpius aut duos digitos transversos crassa, tenaci & polyposa obducitur, quæ discindi vix potest, speciemque ad visum propemodum offert sevi liquati, aut liquaminis saccharini, quod operibus dulciariis superinfundere solent cupedinarii. Immo vidimus sæpius pleuriticorum sanguinem jecori anserino farto figura, colore, mole & consistentia simillimum.

XX. Hæc crusta summum inflammationis sanguineæ statum certissime portendit; quousque igitur ea apparet, eousque reiteranda est venæ sectio, donec sensim diminuta fuerit, aut plane evanuerit, quod plerumque post secundam aut tertiam phlebotomiam contingere solet. Quamdiu enim hæc adhuc in sanguine conspicitur; tamdiu status ægroti adhuc in ancipiti, immo præcipiti stat, nec res ejus in vado est.

XXI. Non possum igitur hac quidem in parte assentiri viris ceterum summis, Lancisio atque Baglivo, statuentibus, crustam illam albam & quasi sebaceam, in pleuriticorum sanguine ceu bonum & salutare signum necessario apparere debere; pessimam contra & deploratam fere ægrotorum esse conditionem, quibus sanguis rutilus, sano similis, crusta vero illa salutifera scilicet destitutus, e vena pertusa prosiluerit.

XXII. Nam pessimam potius pleuriticorum conditionem, ut dixi, indicat, crescente enim sanguinis inflammatione & stagnatione, crusta quoque illa increscit, & augmentum capit. Ideo semper quidem procedente in pejus & ingravescente morbo, adesse solet, sed non semper adesse debet. Si enim mox ab initio, & primo die, sanguis mittatur, aut nulla plane crusta apparet, aut tenuis saltim membrana quasi lactea, quod bis vidimus. Inde optime hanc in rem Cælius Aurelianus, Lib. II. Acut. Morb. c. 14. *Phlebtomati ægrotantes pleuritici liquidum & non densatum sangui-*

gui-

guinem reddunt, quod scilicet de primis ab morbi accessione diebus extra controversiam unice intelligendum. Sic contra post aliquot dies iterum vena incidatur, crusta illa tum crassior & conspectior evadit. Et sic in omnibus febribus acutis & ardentibus contingere solet. Sic in ipsis variolis sanguis primo die e vena missus, purpureus & salubri similis comparet; sed secundo, tertio vel quarto ab accessu die, extractus, jam est valde viscosus, inflammatus, crusta alba tectus & pleuritico plane similis, ut pulchre monet Boerhaavius, & Sydenhamus, & nos ipsi aliquoties observavimus.

XXIII. Ubi ergo crusta illa sevosa apparet, sanguinem jamjam in pus abiisse, aut proxime abiturum significat, omissa venæ sectione & methodo antiphlogina. Quare vix dubium, quin pleuritici curari tutius & facilius possint, quibus nulla crusta fuerit in sanguine conspicua. Nam id infaustum, etsi candidum signum, non imminutum, sed auctum potius malum & statum periculosiorem significat.

XXIV. Nec est, quod quisquam cum Baglivo metuat, sanguine rubro & naturali proximo e vulnere emicante, materiam illam, crustam istam albidam generantem tum pulmonibus impactam altius remanere, ibique infixam immanes turbas & lacrymosas tragœdias excitare. Sicuti enim, quando candida & glutinosa crusta in sanguinis superficie apparet, non sanguis solum in thorace & pulmonibus hærens, sed omnis in universum massa sanguinea ejusmodi materia crustosa inquinata, quod sanguis ex brachio, pede, jugulo, aut quacunque demum corporis parte emissus evidenter ostendit, quippe qui semper ejusmodi funesto operimento candido tectus apparet: Ita e contrario firmiter concludere licebit, sanguinem purpureum, nullaque labe aut tabe infectum e vena pleuritici extractum indicium potius præbere de reliqua massa universa adhuc incontaminata & ad summum inflammationis gradum nondum perducta; quam indicare, materiam illam crustosam solam pulmonibus impactam restare, floridum vero & sincerum sangui-

nem maximo ægroti detrimento, solum prodire, sicque massam parte sui meliore & volatiliore spoliari. Plerumque enim testatur pars de toto, & sanguis e vena missus, natura, colore, substantia, accurate conditionem sanguinis refert in corpore adhuc contenti & per vasa sua atque canales incredibili celeritate circumlati.

XXV. Nemo ergo Medicorum animum facile despondeat, aut desperet prorsus salutem, ubi pleuriticorum sanguinem nobili illa crusta orbum conspexerit; quin potius impense sibi gratuletur, quod ægros nactus sit, quorum sanguis careat adhuc tristi illa extremæ inflammationis purulentæ nota characteristica, speretque hinc post Deum, adhuc sibi potestatem esse relictam malum illud in herba suffocandi & ægroto facilius sanitatem ex voto reddendi. Scintilla enim sub favilla delitescens digito, vel guttula aquæ facile extingui potest, quum contra incendium quando semel invaluit, ne urnis quidem, siphonibus & hamis compesci & perdomari possit.

XXVI. Sed alia adhuc restat observatio magni Sydenhami, curiosa quidem, minoris tamen quam præcedens, momenti, quam paucissimis hic quoque examinare lubet, quia huc etiam pertinet. Credit nimirum, sese observasse, quod si sanguis pleuriticorum e secta vena non recto flumine versus horizontem prosiliat; sed per cutim repens perpendiculari inclinatione dimanet, utut celeri sese proripiat gradu, tum sæpius deficere illam crustam albidam, lentam & tenacem alias sanguini supersterni consuetam, cujus se veram causam ignorare candide simul fatetur. Neque sane alius quisquam eam facile divinaverit.

XXVII. Mihi vero, utut aliquoties omnem adhibuerim diligentiam, studiose cognoscendi, ecquid tandem veri subesset huic commento; nunquam tamen differentiam illam observare licuit; quin potius omnis sanguis sive ad horizontem vi propulsus, sive ad perpendiculum stillatim & lente extortus, paucis post sectionem horis, tristem illam pleuriticam crustam albicantem promiscue induere visus est.

XXVIII. Immo, quum rarissime contingat, ut ve-

ri pleuritici sanguis ob nimiam spissitudinem & lentorem actionemque thoracis plurimum interceptam , vi quadam horizontem versus prosilire possit ; quin potius lento gradu perpendicularem in modum plerumque stillare soleat , immo sæpius vulnere exire haud possit, nisi fluxus ejus ægroti tussi & actione brachii adjuvetur ; & tamen semper fere istud albidum velamentum obtineat ; sequitur exinde perspicue , hanc magni Sydenhami observationem nostris certe in regionibus , locum habere non posse.

XXIX. Nolim interea reverentia ductus, tanti viri experientiæ & fidei temere adversari. Cęlum forte Anglorum, aut singularis sanguinis dispositio , aut alia quæcunque causa latens potuit ansam præbuisse, ut ejusmodi singulare phænomenon emergeret. Vel potuit etiam fieri, ut vir iste summus in tales ægrotos forte incideret, quibus incipiente & benigniore adhuc pleuritide correptis, ad ejusmodi sublimem & arduum inflammationis gradum nondum pervenisset sanguis, ut albam illam tunicam indueret, unde frustra illa forte expectata fuit, qua de re paullo supra jam dictum.

XXX. Sed nunc demum e diverticulo iterum in viam ! Quæritur nimirum jam tertio, ubi & quo loco pleuriticis sanguis sit mittendus ? Gravissimi artis salutaris antistites, Sydenhamus, Baglivus, VVillisius, Petr. Brissotus & in primis Renat. Moræus , Bartolettus, Baronius, qui tamen fluctuat, Lud. Septalius, Matth. Curtius, Deusingius , Hoffmannus, Boerrhavius ex parte, item Barbette & lepidus olim extorris nunc Cardimelechis fabricator, Dolæus, aliique plures præeunte ipsis antesignano Hippocrate , unanimi suffragio affirmant , primam venæ sectionem in brachio lateris affecti potissimum esse administrandam . Alii contra non minoris auctoritatis viri , ut Cælius Aurelianus, Avicenna, Argenterius, Sennertus, Tim. a Guldenklee aliique plures, item vir magnus , Jul. Cæsar Scaliger, vel in sano opposito latere , vel in pedibus, eam institui debere censent, quod unus idemque sanguis sit, qui in vasis contineatur , parumque hinc referat omnino, ex quo demum canali aut vena

na latex ille vitalis educatur, modo ad juvandam fatiscentem & laborantem naturam, ex aliquo emittatur. Nec acres sane lites hac de re magni in primis Vesalii ætate & deinceps agitatas hic recoquere placet, de quibus copiose jam tractavit Bartolettus Lib. V. c. 7. & alii, item Ren. Moræus in divino Libro de sanguinis missione in pleuritide.

XXXI. Hæc licet non sine veri specie ita tradantur, & locum omnino habere possint, si de corpore sano & in statu suo naturali constituto accipiuntur; neutiquam tamen eodem modo sine distinctione capi possunt de statu præternaturali & corpore morboso: tum enim ingens profecto est differentia maximique momenti res, ex quo vase, quove loco sanguis extrahatur, quod experientia affatim testatur. Qua de re multa hic nec inscita, nec inutilia disputari in utramque partem possent, si id nunc ageremus, & aliud, quam quod tractamus, Thema in manibus haberemus.

XXXII. In primis vero in pleuritide curanda plurimum omnino refert accuratius & distinctius definiisse locum, ex quo sanguis in ægroti salutem depleri debeat. Tanta enim atrocis morbi est violentia, tantus inquam sanguinis æstuantis & contineri nescii furor, ut nisi laboranti naturæ e proximo loco succurratur, venæ sectio non solum nihil plane aut parum juvet, sed & adeo insuper noceat.

XXXIII. Igitur ratione, experientia reique natura dictante, prima præsertim venæ sectio nullo alio in loco, me quidem suasore, instituatur, quam in brachio affecti lateris, sive dextri, sive sinistri, a qua quippe ægrotos semper plurimum allevamenti & liberioris respirationis persensisse compertum nobis fuit multiplici experientia: Evitetur vero certe ab initio, e contrario altera in opposito scil. sano latere instituenda, utpote a qua, quoties tentata a nobis fuit, miseros non solum nihil emolumenti accepisse, sed & in vehementiores respirandi difficultates, majoresque anxietates & inquietudines conjectos fuisse fida experientia pariter nobis constitit, ut ex una singu-

lari historia inferius proposita clarius patescet, vid. Ægrot. III. & IV.

XXXIV. Atque pulchre singularique cum voluptate adhuc memini, ex plus quam quadraginta pleuriticis meæ curæ diverso tempore commissis vix quenquam fuisse repertum, cui non mox a prima paullo largiore sanguinis missione proxime ad locum dolentem rite instituta, dolores lateris acerrimi incantatione quasi consopiti fuerint, anima hactenus coarctata liberius meare cœperit, quiesque corporis animique tranquillitas redierit, ita ut sese ceu recens natum aut ex orco revocatum gratus lætusque fateretur.

XXXV. Sed raro una cruenta pugna sufficit ad profligandum penitus atrocem hunc hostem: breves plerumque inducias facit, non certam solidamque pacem; & dum in thorace, quasi vallo quodam munito circumseptus, dolose latet, novas sæpe gravioresque insidias machinatur. Hinc circa vesperam plerumque atque per noctem dolores anxietatesque recrudescunt & febris ad tempus soporata denuo vehementius accenditur.

XXXVI. Hoc ubi cognitum fuit, etiam nocturno tempore, illico vena vel in eodem brachio incidenda, vel, quod melius mihi sæpissime successit, in pede ejusdem tamen lateris dolentis, unde revulsio salutaris subsequitur, nimiusque sanguinis æstuantis versus loca obstructa sanguineque crasso & viscido distenta, appulsus a superna thoracis regione vi quadam revocatur, & ad inferiora ignobiliora corporis loca retropellitur, ex quibus minus periculi metuendum.

XXXVII. Ubi vero vel post alteram venæ sectionem, malum nondum penitus silet, pulsusque durus adhuc, inæqualis atque frequens, & respiratio laboriosa, anhela, & suspiriosa nondum satis sanguinis profusum fuisse aperte indicant; tum tertiam adhuc, immo & quartam, si necessitas urget, vel in eodem, vel in opposito pede, rite & justa, haud tamen nimia copia, administrare decet, respectu tamen semper sollicite habito ad vires aliasque ægroti circumstantias superius commemoratas.

XXXVIII.

XXXVIII. Ex hoc ipso vero fonte fluit nunc demum sua sponte facilis responsio ad Quæstionem Quartam, quantum nempe sanguinis sit mittendum? Tantum nimirum ajo, quantum morbi sævitia efflagitaverit, ægrique vires, ætas, constitutio, habitus aliæque circumstantiæ permiserint, ad quas semper attente respicere decet medicum probum, cautum, in artis exercitio circumspectum & exercitatum.

XXXIX. Sic v. g. corpus juvenile, vegetum, torosum, nullis antehac morbis obnoxium, fucci plenum, sanguine florido turgidum, cui facies rubet, oculi exstant, tempora pulsant, carotides jugularesque tument, cuique ex his caussis aut delirii, aut suffocationis, aut utriusque simul spes est, largam nimis peneque immodicam & aliquoties repetitam facilius promptiusque ferre potest sanguinis detractionem; quam corpus imbecillum, cannabinum, emaciatum, viribus defectum, morbis jam infractum, & sanguine succoque vitali vix ad necessitatem dotatum. Nullæ igitur prorsus regulæ universales de quantitate sanguinis mittendi determinanda, præscribi hic possunt, quum vel minimæ circumstantiæ & hic potissimum rem varient; Sic v. g. eximius quondam Medicus, Jo. Heurnius refert Lib. IV. Instit. Med. cap. 4. p. 505. sese ægro ex utriusque lateris pleuritide acerbe laboranti una vice extraxisse plusquam quatuor sanguinis libras, unde & evaserit Dei beneficio, hic Libitinæ jamjam ab omnibus sacer & devotus habitus pleuriticus. Quod generosum facinus ut laude hic sua dignissimum, ita a nullo temere imitandum, nisi judicandi peritia & medendi usu Heurnio fuerit compar. Plura hac de re vid. apud Baron. de pleuripneu. Lib. II. cap. 10.

XL. In genere tamen tenendum, omnium minime illos medicos peccare, qui audaciores & sanguinis profundendi nimium prodigi sunt, quam qui justo parciores & timidiores: parca enim venæ sectio in hoc morbi atrocis genere plus semper nocet, quam larga, recte hoc post Hippocratem observantibus Sydenhamo, & Boerrhavio. Ante omnia vero semper eo annitendum, ut prima sit omnium largissima &

modum pœne excedens, immo quandoque ad animi usque defectionem, jubentibus quoque Hippocrate, Galeno, Aetio & aliis. Quod tamen rarius & nonnisi urgente summa necessitate, & nimia morbi atrocitate audendum, ne vis vitalis in ægroto nimium labefactetur, sputisque coquendis & egerendis aliisque crisibus salutaribus promovendis impar hoc modo reddatur, ut pulchre monet post VVillisium, magnus Hoffmannus. Audiant igitur hic omnes Medici timidi, nimis trepidi atque αἱμοφόβοι, audiant inquam aurea experientissimi & latinissimi Nicol. Tulpii dicta, dicta ajo perpetua semper dignissima vita, e Lib. II. Observ. Med. Cap. 1. ubi de dolore pleuritico: Vita hæc vada o Medice! admonet ille & magna gravique voce testatur, vita hæc vada o Medice! Satius quippe est, prudenter vitam prorogare, quam timide mortem maturare. Improvida namque solicitudo sævitia adeo est, non lenitas. Secanda itaque vena, cuicunque ætati ac sexui: maxime, si constent vires, & auxilium hoc exposcat imperiose inevitabilis necessitas, juxta illud Celsi: *In præcipiti periculo fiunt multa, alias omittenda*. Ubi vide plura. Idem paullo ante: Quæ enim hæc dementia est? primum metuis exile brachii vulnusculum, & leve alicujus sanguinis dispendium; deinde vero incidis secure ipsum thoracem; & elicis inde, non aliquot sanguinis uncias; verum integras pelves pure refertas; interdum per aliquot menses, sed sæpius per plures annos. Hactenus quidem vir ille & arte & facundia plane insignis.

XLI. Quamvis igitur nulla certa norma in definienda sanguinis extrahendi quantitate, ut dixi, proponi possit; tamen quæ mihi hac in re crebro usu venerunt, candide exponam. Prima igitur eaque copiosissima venæ sectione educatur sanguinis ab ℥. x. aut ℥. xii. usque ad ℥. xv. altera ab ℥. viii. ad ℥. x. tertia denique aut quarta si necesse, ab ℥. vi. aut vii. ad ℥. viii. ita ut summa sanguinis quatuor vicibus educendi quantitas consistat intra ℥. xxx. aut xl. quem calculum etiam pœne posuit Sydendamus. Ego tamen, ut ingenue fatear, rarissime eo adactus fui, ut ultra ℥. xxiv.

aut

aut §. XXVI. ascenderem, etiam si dura imperaret necessitas, ut ter aut quater vena pertunderetur; quod luculentius patebit ex ægrotorum historiis infra scriptis. Ex hoc igitur proposito tenui schemate peritus in arte medicus facile per se colliget, quid demendum, aut addendum, ubi in ipso opere artis faciundo occupatus fuerit, diversosque ægrotos pleuriticos, diversæ ætatis, naturæ, temperamenti & idiosyncrasiæ tractandos susceperit.

XLII. Interim ego iterum iterumque maximo nisu, & quanta voce possum, testificor, proclamo, denuntio, quia hoc saluberrimum & maximi momenti præceptum vix satis potest inculcari: Quisquis pleuriticum ab instanti interitu vindicare exoptat, is sanguini ipsius minime parcat, tantumque ejus prima statim venæ sectione intrepide detrahat, donec arteriarum pulsus languescere & vacillare quasi incipiant. Ab hac enim sola fere & unica ægrotorum salus pendet; & ubi rite & convenienter suscepta fuerit, vel reliquæ leviores & parciores fieri possunt, vel plane interdum omitti, ut ex iisdem historiis clarius apparebit. Hanc enim solam salutis Phœbus ostendit viam.

XLIII. Justam vero sanguinis æstuantis quantitatem venis ademptam fuisse, vel ex eo perspicue patescit, quando pulsuum rhythmi æquali & constanti tenore placide decurrunt, lateris dolores mitescunt, respiratio liberius it, sputa cocta, pinguia & subflava prodire cum levamine incipiunt, & quando potissimum ægroti de dolore gravi scapularum, clavicularum aut etiam dorsi simul vehementius conqueruntur, quod plerumque post primam mox, aut etiam post alteram aut tertiam denique venæ sectionem, contingere solet, ut accurate observavimus.

XLIV. Scio equidem, plerosque medicorum, qui de pleuritide scripsere, postremum hoc signum ad signa pathognomonica & incrementa morbi referre, unde & scapularem & dorsualem pleuritidem nobis finxerunt potius, quam probarunt: si vero experientiam experientiæ opponere liceat; ego contra sancta & religiosa fide asserere possum, me nunquam hoc signum ab

initio morbi, sed semper potius in progressu, & circa quartum aut quintum diem observasse, semperque candidum faustumque indicium certæ ægrorum salutis & sanitatis fuisse, ita ut secure fere prædicere potuerim, nullum ex illis moriturum, cui post venæ sectiones, dolor intensus in claviculis, scapulis aut dorso obortus subito fuerit. Hæc vero singularis & egregia prorsus observatio debetur optimo Naturæ indagatori & interpreti Hippocrati, postque genuinis ipsius in arte filiis, Baglivo atque Boerhaavio.

XLV. Nec sane unquam fefellit augurium: simul ac enim salutare illud signum apparuit, dolorque molestus, sensibilis & onerosus scapulas aut dorsum occupavit, ægroti illi, qui hactenus sine corporis motu, sine animi sensu, & denique sine spe vitæ, neglecti desertique jacuerant, paullo post sensim ad sese redierunt, vires recollegerunt & intra paucos dies plene convaluerunt. Dolores enim isti scapulares & dorsuales certissimo indicio sunt, materiam pleuriticam uni hactenus parti thoracis infixam, incipere nunc liberius moveri, resolvi & per arterias in cor resorberi, ut deinde circulationis ope & naturæ providentia, per varia corporis æstuaria cutisque spiracula eo commodius faciliusque egeri possit, ceu præclare quoque observavit magnus noster Boerhaavius.

XLVI. Unum vero adhuc superest monendum circa venæ sectionem legitime & cum optato successu administrandam, quod paucis fiat. Constat scil. e superioribus, præeunte constanti experientia, pleuriticorum sanguinem generatim fere esse spissum, viscosum & picis ferme ad instar nigrum & tenacem, adeo ut hinc non solum difficillime profluat; sed & adeo ipso in limine vulneris pertinaciter hæreat, quod in primis de venis pedum, ubi tardissima tum circulatio, intelligendum, ut sæpe vidimus. Isto igitur rerum statu, brachia ante incisionem pannis laneis calidis sedulo fricanda, spongiaque aqua calida imbuta diligenter fovenda, pedes vero calido immo fervido nonnihil lavacro sunt immittendi, ut sic sanguis fluidior & ad profluendum aptior reddatur. Tum ægroto jacenti potius,

quam

quam sedenti, (hoc enim posterius vix sine lipothymia & summa anxietate ferre potest) scalpello phlebotomo vulnus infligendum latum, patens & profundum simulque ipsi serio injungendum, ut frequenter tussiat, brachium & pollicem in primis agitet, & si possit, quoque sternutet; ideo ipsius naribus fortiora sternutamenta sunt applicanda, quod aliquando, sed rarius omnino, succedit, haud possunt enim pleuritici præ intenso lateris dolore & respiratione intercepta, facile ad sternutationem commoveri, vid. Tulp. Lib. II. Obs. & ex eo Bagliv. in primis autem Boerhaave.

XLVII. Sed hæc jam sufficiant tandem de venæ sectione. Plura vero qui desiderat, is adeat quæso aureos plane Libellos Petr. Brissoti & Renat. Moræi de incisione venæ & missione sanguinis in pleuritide, quos diligenter olim a me lectos doleo jam mihi non ad manum esse, nam oppido raro occurrunt. Multa quidem dixi, non tamen nimia. Nam quia in hoc generoso & divino remedio unica propemodum ægrotorum salus consistit, & totius rei cardo vertitur; ideo diligentissime omnino indicandum fuit, quid & notatu dignum & factu opus sit, ne quis decipiatur, & vel brevitatem incuset, vel obscuritatem. Nunc transeamus, si lubet, ad alia, strictius percensenda.

CAPUT III.

De variis Auctorum pleuritidem curandi methodis hactenus usitatis cum vera epicrisi.

I. QUid nunc porro post rite celebratam venæ sectionem in Pleuritide recte tractanda sit agendum, paucis jam expedire lubet, ne quid lateat sæculo aut certe tironibus in arte nostra profuturum. Hos enim confirmare decet, quorum nondum est stabilis ac solidis radicibus fundata ac fixa sententia; nutant enim plurimi, ac maxime qui litterarum saltim aliquid attigerunt, ut cum Lactantio loquamur.

II. Tot vero tamque diversæ a se invicem medendi rationes, ut plurimum operosæ, ambiguæ, imo & salebrosæ & nocivæ a scriptoribus medicis traditæ & commendatæ sunt, ut iis omnibus recensendis nec otium mihi suppetat, nec perlegendis & expendendis lectori patientia. Docendum igitur hic breviter ac circumscripte, longe devium Medicos iter a veritate hucusque tenuisse, & nec morbi indolem satis perspectam habuisse, nec medendi rationem satis cognitam, quos proinde ad veritatem a prava persuasione traducere, si pote, addecet.

III. Quidam enim remedia purgantia præscribunt; alii contra proscribunt. Hi Enemata & Clysteres commendant; alii rursus damnant. Sylvius omnem fiduciam ponit in diaphoreticis & salibus in primis volatilibus; quæ ab aliis hoc in morbo infamia notantur. Aliis sola bechica & expectorantia placent; aliis contra displicent. Rulandus atque Hartmannus, solis vomitoriis omne negotium absolvendum committunt, quæ tamen ceu valde incerta & discriminis plena rejicit prorsus VVillisius; Idem tamen plurimum suo Julapio tribuit antipleuritico, quod ut gratioris esset saporis scilicet, fimo equino condit, quod dudum fecerat Philippus Melanchthon, teste Dieterico, in Jatreo Hippocratico, pag. 996. ubi & plura de Pleuritide. Helmontio denique non sufficiebat egregio hirco vitam eripere; nisi antea nimium profecto castus & lætæ veneri infestus, virilitatem quoque ademisset, & sic duplici crudeli morte mulctasset, ut scilicet hoc modo pretiosissimum salacis animalis sanguinem eliceret, quem in hoc morbo debellando supra omnia alia remedia longissime extollit. Tædet alia plura his etiam ineptiora & superstitione plena referre, quia eadem & recensere & refellere idem profecto est. Nam quoniam singulorum errores percurrere non est unius libri opus, nec nostri otii, satis sit, pauca hic enumerasse, ex quibus possit, qualia sint cetera, abunde intelligi.

IV. Quid ego de his variarum opinionum commentis sentiam, quidque in eis fugiendum aut sequendum

& imi-

& imitandum censeam, fida experientia edoctus, paucis nunc edisseram. Purgantia itaque, Veteribus licet, ut Hippocrati, Galeno, Tralliano, Cælio Aureliano, Celso aliisque passim commendata, ab initio aut in progressu & vigore morbi, haud facile admiserim, etiamsi indolis sint mitissimæ, ut Rheum, Cassia, Manna, Senna Tamarindi &c. dum enim alvum, etsi blande sollicitant, naturam scopo suo alibi intentam alio avertunt, & sputa nonnunquam supprimunt, quod in hoc morbo pestiferum. Eo ipso enim febris exacerbatur, spirandi difficultas adaugetur, & dolores laterales intenduntur, ita ut inde ægroti in ingens sæpe vitæ discrimen adducantur. Hinc me quidem suasore, purgationes ejusmodi antiphloginæ si iis opus fuerit, ante morbi declinationem, & decimum quartum inprimis diem, haud facile instituantur.

V. Tanto præstantiora vero atque tutiora sunt clysmata & enemata, quæ hinc derivationis, humectationis & blandæ refrigerationis causa, aut singulis, aut alternis diebus, sub vesperam inprimis, ubi dolores ordinarie magis ingravescunt, injicienda ex auctoritate Hipp. Sydenhami, Boerhavii & aliorum, præcipio. Sed mitissima & tepida potius, quam calida ea esse debent, & nonnisi ex sero lactis, aut decocto hordei aut avenæ, milii aut oryzæ, cum oxymelite aut melle puro, & una aut duabus drachmis nitri, lapidis prunellæ, aut arcani denique duplicati adjectis, composita. Dum enim blande abstergunt, humectant, æstum temperant, & vasa tum nimis turgida & inflata deplent: liberiorem thoracis motum promovent, & leves per noctem somnos invitant.

VI. Contra potentiora diaphoretica, Alexipharmaca, Bezoartica ac sudatoria, & sales inprimis volatiles spiritusque Theriacales & similia vehementiora Sylvii Sylvianorumque per omnem morbi decursum, cane pejus & angue vitanda moneo, oleum enim addunt camino, sanguinis namque jamjam furentis motum magis citant, ut vehementius versus cor atque pulmones agitetur, molesque hinc ejus in vasa obstructa augeatur, unde arteriæ tumefactæ venas plerum

rumque comprimunt, & ægri ſic miſere ſuffocantur, ut & bene obſervavit Boerhaavius.

VII. Quibus accedit potiſſimum, ſudorem, qui per ejuſmodi violenta & ignea quaſi medicamenta ſumma vi extorqueri ſolet, miſeros ægrotos in maximum vitæ diſcrimen plerumque conjicere. Sanguis enim jam ante per ſe juſto ſpiſſior, tenacior & ad ſtaſes hinc inde formandas proclivior, hoc modo meliore ſui parte feroſa nempe fluida, mobili & circulationi continuanda unice neceſſaria, irreparabili profecto damno, ſpoliatur, unde neceſſario ſequitur, ut veteres ipſius ſtagnationes immane quantum exaugeantur & in gangrænam, pus aut ſcirrhum eo citius degenerent, aut novæ paſſim oboriantur veteribus ſæpe pejores & ad celeriorem internecionem aptiores. Si qui tamen ſint, qui his nocivis remediis intempeſtive uſi, validiſſimæ naturæ munere & cœleſti pene miraculo his flammis eripiantur; accidit enim interdum, illi ὡς διὰ πυρὸς forte fortuna evaſiſſe jure maximo cenſendi ſunt.

VII. Bechica porro atque ſic dicta expectorantia medicamenta ab initio morbi magis obſunt, quam proſunt: æſtum enim ſanguinis augent & pulmones ad extuſſiendum fruſtra & ſine emolumento ſollicitant. Hinc ante quartum aut quintum diem, propinari non debent, quando nempe natura monſtrante viam, ſputa coctiora, pinguiora, copioſiora & ſalutari flavo colore tincta prodire occipiunt. Evitari tamen omnino debent omnia calida, inprimis ſic dicta Elixiria pectoralia, præſertim nimius Croci uſus, cujus anathymiaſis narcotica in cerebrum abit, æſtum auget, & mucoſam pectoris expurgationem magis interdum impedit, quam promovet: quod & in genere de omnibus opiatis, ut Laudano, Philonio, item Hyoſcyamo aliiſque id genus ſoporiferis probe notandum, quippe quæ in hoc morbi genere ex iiſdem cauſis exitiabilia prorſus atque internecina deprehenduntur, uti poſt Alex. Trallianum, ſapienter monet venerandus noſter Hoffmannus. Inde mitiſſima potius cum ſucceſſu in uſum ſunt advocanda, ut ſunt oleum amygdalarum dulcium ſine igne recens expreſſum, cum

Sy-

Syrupo de Althæa Fernelii, violarum, jujubarum, de Farfara, aut de Eryſimo Lobelii, & ſimilibus intime commiſtum. Aut infuſum Theiforme ex herbis pectoralibus, v. g. Veronica, Tuſſilagine, Pulmonaria, Hyſſopo, Capillo Veneris, Salvia & ſimilibus, cum melle crebrius per diem calide hauriendum prodeſt.

VIII. A Vomitoriis contra ceu periculoſis & nocivis, per totum morbi decurſum plane eſt abſtinendum. Nihil aliud enim agunt, quam ut materiam pleuriticam alte partibus thoracis jam impactam altius adhuc infigant, hinc inflammatiónem augeant vaſaque ſanguine craſſo ultra modum diſtenta facilius rumpant, & miſerum ægrotum letali hæmoptyſi & vomitu cruento haud facile compeſcendo enecent. Et mirum profecto eſt, Rulandum ejuſque aſſeclas eo audaciæ procedere potuiſſe, ut tam anceps & funeſti eventus plenum remedium commendarent, nec mirum repertos fuiſſe poſtea, qui cœco impetu abrepti idem tentarent. Unum tamen hic excipit caſum illuſtris Hoffmannus, quando nempe ab nimia ingluvie atque hinc ventriculo inteſtinorumque tractu ſaburra, flatibus ſpaſmiſque diſtento & infarcto; quædam pleuritidis ſpecies ſuboriatur. Quia vero ad hanc probe dijudicandam & a vera pleuritide acuta accurate diſcernendam; ſolum acumen Hoffmannianum requiritur, quod hodie in terris rariſſimum; a vomitoriis in univerſum abſtinere præſtat.

IX. VVilliſii, viri cetera ſummi, Julapia antipleuritica nihil nocent, ſi ad excreationem adjuvandam juſto tempore adhibeantur; interim adjectum illud ex ſtercore equino condimentum jure omitti & ad apothecas ſtercorarias Paullini, Rulandi & aliorum, potius ablegari debet. Licet enim fimus ille ſuo uſu haud prorſus deſtituatur; tamen ſordent ejuſmodi cupediæ de eſterna cœna aut prandio hodie delicatioris palati hominibus, inprimis quum innumera fere e penu pharmaceutico depromi poſſint, quæ illa ſtercoroſa Julapia pari virtute æquant, ſimul vero melioris ſunt ſaporis, puriorisque naturæ, ita ut hac in parte nul-

nulla necessitas nos urgeat, quod stercus pro solatio ægrotis sordide offeramus. Hinc *pudeat tractare fimum*, ut poeta loquitur.

X. Nec denique pluris facio cruentum illud Helmontii arcanum super cælum & sidera olim celebratum; quod ex sanguine egregii gregis ducis, testiculis peracuta falce præsectis, paratur. Tantum enim abest, ut in debellanda sæva pleuritide cruor hirci etiamsi nigerrimi & olidissimi, divinum plane præstiterit auxilium, ut ne humanum quidem præstare possit, ut non semel in praxi observavimus. Non enim licet per sanguinem hircorum in sacra Hygeæ penetralia introire, nisi humani sanguinis sat larga impensa facta fuerit, & si qui forte cælesti munere & validissimæ naturæ ministerio, vorticoso hoc gurgite feliciter enataverint, præterita etiam venæ sectione: id potius proprii sanguinis virtuti, quam hircini efficaciæ tribuendum fuerat. Et commode hic meminit Medici cujusdam in vicinia, qui anno CIↃ IↃ CCXXXIII. in his terris Rhenanis populariter grassante atroci pleuritide, propter malum, quem possidebat imperitiæ thesaurum, ut ait Hippocrates, & ineptam intempestivamque αἱματοφοβίαν, sanguini suorum ægrotorum parcebat, non vitæ; dum enim spem omnem fiduciamque in solo illo egregio sanguine hircino, una cum seminibus cardui Mariæ, Mandibulis Lucii piscis aliisque id genus nugatoriis collocabat; factum est ut omnes pleuritici ipsius quidem curæ commissi aut quinto, aut septimo die, misere perirent & suffocatione exanimarentur, apparentibus post funera eorum, lateribus lividis & nigris, viola quasi aut atramento tinctis, a nimia scil. sanguinis & congestione & inerti spissitate, in iis locis propter venæ sectionis neglectum generata. Illi contra Medici rectioris judicii & ratiocinii, qui hominum potius sanguinem largius effundebant, quam hircorum: auxilio divino omnes fere pleuriticos ex orci faucibus eripiebant, & mihimet ipsi ex viginti & pluribus, unus tantum & quidem sua culpa inobsequens & αἱμοφοβος, empyemate decessit.

CA-

CAPUT IV.

De simplici, facili, naturali & omnium tutissima pleuritidem curandi Methodo.

I. ALiorum igitur medendi viis sic strictim percursis, & maximam partem jure notatis, nunc denique superest ut nostram quoque, sive potius Hippocraticam, hoc est rationalem & naturæ vestigiis presse inhærentem paucis exponamus. Apud quem enim antecedens nostrum examen profecerit, quo falsa deteximus; excitabitur nunc ad veri cognitionem, qua nulla est homini jucundior voluptas, ut cum Tullio Christiano, sive Lactantio, paucis immutatis, loquar.

II. Statim ergo post primarium illud Herculeum & divinum plane remedium, post primam, inquam, largam venæ sectionem, pleuriticis Mixturam sic dictam pectoralem, resolventem & anticausticam simul, singulis horis cochleari mensura sumendam, propinamus, nempe ex aquis destillatis Veronicæ, Tussilaginis, Pulmonariæ, Hyssopi, Salviæ, Fœniculi, aut aliis similis virtutis, cum lapidibus cancrorum sive conchis, Mandibulis Lucii piscis, Antimonio diaphoretico, Lapide Prunellæ & Extracto Corticis Cascarillæ aquoso, & Oxymelite simplici, vel syrupo de Althæa Fernelii, Erysimo Lobelii, jujubarum & similibus, quo ipso æstum temperari, respirationem allevari, tussim mitigari & pectoris expurgationem sensim promoveri crebro animadvertimus.

III. Deinde siti nimium urgente, quæ miseros ægros ordinarie vehementer excruciat, tenuem ex hordeo ptisanam cum oxymelite vel simplici melle & tantillo nitri paratam calide crebro ingerendam offerimus; probe gnari, quam eximii usus in hoc morbo sit ptisana hordeacea, quod post Hippocratem reliquosque veteres, luculenter admodum ostendit Jo. Thom. Minadous, peculiari dialogo, de ptisana ejusque cremore, pleuriticis propinando. Nihil enim in his morbis flammosis magis nocet, quam sitis: quo

puls

plus igitur æstuantia viscera humectantur, eo magis sanguis diluitur, ejusque stases sensim resolvuntur. Ad quem scopum unice faciunt mel & acetum sive Oxymel, nihil enim fortius simulque mitius sanguinis coagulationes resolvit, putredini resistit, humorum lentores attenuat & incidit, gangrænamque arcet, divinis his binis remediis, simplicibus & facile parabilibus: adeo ut nemo pleuritin feliciter curaturus, post venæ sectionem oxymelite carere possit, quod post Hippocratem, Galenum, Aretæum, Alexandr. Trallianum, Cælium Aurelianum & Theod. Priscianum, Thaddæus Dunus & Franciscus Cigalinus in suis epistolis medicinalibus ea de re sigillatim conscriptis egregie docuerunt, quibus accedunt nostra ætate Boerhaavius, Hoffmannus & alii rectius sentientes Medici. Quid, quod ipse testari possum, me multos rusticos sola repetita venæ sectione, & aqua hordei cum oxymelite affatim calide ingesta, feliciter sanasse.

IV. Singulis porro aut alternis minimum diebus, quantum nempe ægroti vires permittunt, & acrior vis morbi urget, sub vesperam, quando dolores laterales semper fere magis ingravescere consuerunt, clysma sat larga copia tepide injiciendum curo, sed non nisi ex aqua hordei & oxymelite sive melle puro cum una aut duabus drachmis nitri, aut lapidis prunellæ, aut arcani denique duplicati, paratum, aut more Sydenhami, ex solo lacte cum saccharo præparatum, quo ipso vis flammæ intus furentis infringitur, acrimonia temperatur, & blandus plerumque somnus provocatur.

V. Maximi quoque sunt usus topica & exterius adhibita, quibus calefactis dolentis lateris regio perpetim est fovenda, fricanda & inungenda. Hippocrates lib. de victu Acutor. sive de ptisanæ laudibus, jam sua ætate simplicem aquam calidam in utre, vesica, aut vase æneo, vel spongia, vel hordeum aut ervum in aceto diluto fervefactum & in marsupia conjectum applicare, vel siccum fomentum ex sale & milio torrefacto in laneis sacculis apponendum parare jussit: quæ certatim laudavere atque strenue imitati

tati

tati sunt olim Praxagoras, Aretæus, Alexander Trallianus, Cælius Aurelianus & Theodorus Priscianus; a qua methodo non abhorret nostro ævo magnus Hoffmannus. Simplicissimum tamen & optimum est oleum amygdal. dulc. vel pro pauperibus, solum oleum lini; ipsos quoque calidos cineres vino respersos dolentibus lateribus impositos egregium usum præstare, patet inter alia ex singulari Lucii cujusdam atrocissime pleuritici historia, qui oraculo Æsculapii admonitus, hujus fomenti sive Cataplasmatis usu plene convaluit, ceu memoriæ proditum in marmorea Tabella votiva Æsculapio in Insula Tiberina quondam suspensa, de qua vid. Gruter. in Inscript. & Mercurial. de Arte Gymnast. Lib. I. c. 1. Sed hoc obiter. Possunt & alia nonnihil operosiora unguenta & linimenta commode adhiberi, ut unguentum antipleuriticum Mynsichti, Barbette, & quæ ex suo penu in Notis adjecit Deckers, item aliud Sydenhami & Hoffmanni. Mihi tamen, ut nihil celem, maximum semper usum præstitit linimentum a Boerhaavio fere commendatum, nempe ex semuncia sacchari saturni, uncia una aceti rutacei vel simplicis, & binis unciis olei infusi rosarum vel liliorum alborum paratum: Hæc vero omnia calidissime, quantum fieri potest, sunt applicanda; tumque pannis laneis calidis vel tegulis calefactis, si ferre quidem potest æger, locus dolens est contegendus, ut calor eo diutius duret. Omnibus autem his calefactoriis remediis topicis sanguinis in vasis intercostalibus stases egregie resolvuntur, dolores acuti mitigantur, respiratio augetur, & sputa quoque eo citius percoquuntur, ut facilius subinde ejici possint. Illud tamen hic in genere monendum, sicca fomenta majore cum successu & efficacia adhiberi in pleuritide rheumatica, humida & pituitosa, qua senes plerumque infestantur; quam quidem in acuta & a sanguinis inflammatione progenerata; in hac enim fomenta potius humida, pinguia & oleosa convenire, doloresque acerbissimos blandissime ex his ipsis consopiri, fida experientia nobis compertum pluries fuit.

VI. Ubi vero repetitis jam aliquoties venæ sectio-

nibus, restat adhuc insignis spirandi difficultas, vel magis exaugetur, tum duo vesicatoria vel femoribus vel tibiis ex Baglivi consilio, applicanda, derivationis causa. Tum enim sputorum fluxum statim promoveri, spirandi molestiam levari, & alvi quoque profluvium, si adfuerit, feliciter sisti, bis aut ter post Baglivum, observavimus, licet non semper ex voto successerit, ut ingenue fatear. Eidem quoque scopo inserviunt cucurbitulæ siccæ ex mente Hippocratis & qui eum jure sequuntur.

VII. Quando vero pectoris purificatio naturæ beneficio occipit, prodeuntibus jam sputis coctis, maturis, pinguibus & subflavis; tum ea arte nonnihil adjuvanda, ut linctu aut Eclegmate ex oleo amygdal. dulc. recens expresso, syrupo viol. jujubin. Capill. Ven. de Erysimo Lobel. & similibus, quale describunt Sydenham., Hoffmannus & alii. Vel infusum Theiforme ex herb. Veron. Tussilag. pulmonar. Hyssop. Capill. Veneris, Ruta muraria, cum Melle frequenter calide hauriendum summopere prodest.

VIII. Quod denique ad Diætam & strictiorem vivendi legem attinet, de qua post Hipp. perquam diligenter tractarunt Aretæus, Alex. Trallianus, Cæl. Aurelian. Cælsus & Ægineta, abstinendi sunt ægri vigente adhuc morbo, ab omni carne & victu crassiore aut pinguiore; tenuia contra juscula carnis vitulinæ aut gallinæ, item uvæ passæ majores & minores, pruna sylvestria, damascena, cerasa & similia subacida & eupepta ipsis sunt concedenda: conducunt quoque vel maxime herbæ molles, diluentes & sapone nativo præditæ, ut Lactuca, Endivia, Acetosa, Beta, Brassica, Spinachia, Cichoreum, similesque Radices, ut Sonchi, Scorzoneræ, Taraxaci, juri vitulino aut agnino incoctæ, ut pulchre monet Boerhaavius; item ptisanarium ex Oryza, hordeo vel avena: potum jam laudavimus ex hordeo cum melle; Conclave tepidum immo subfrigidum potius sit, quam calidum; nec stragulis & culcitis nimium obruendi sunt ægroti, æstus enim & difficultas spirandi eo ipso augetur, & sudor præter rationem prolicitur. In-

de

de fenestræ frequentius per diem nonnihil aperiendæ, sudo in primis & clementiore cœlo, quo aer purior, salubrior & frigidior paulo intromittatur, ne miseri ægroti putrida sua atmosphæra circumfusi, sordidas suas exhalationes continuo inspirando & resorbendo, suffocentur tandem & in vivum quasi cadaver commutentur. Quod & in universum in omnibus morbis acutis, inflammatis & exanthematicis, ut morbillis, variolis, petechiis &c. sedulo observandum esse, post Hippocratem, Aretæum, Celsum, & alios Veteres, præclare docent Sydenham., Baglivus, Boerhaavius, Hoffmannus, & alii Viri magni.

IX. Procedentibus sic cunctis in dies in melius & lætioris sanitatis certa spe refulgente, post decimum quintum aut vicesimum diem, leni Cathartico ex Cassia, Manna vel Rheo barb. cum cremore Tartari aut Tartaro solubili similibusque, alvus ægrotorum est ducenda, ut sic, si quid vitiosi adhuc humoris crassioris restet, e primis viis & glandulis intestinorum commode egeri possit. Respiciendum tamen semper ad ægrotorum vires & durum necessitatis imperium. In omnibus enim opus non est, & complures nostra ope revaluerunt nunquam post morbum purgati.

X. Atque hæc fere sunt sola illa remedia, vilia quidem prima specie, inspeciosa & domestica; eximiæ tamen virtutis & efficaciæ, quibus adjuvante Dei præpotentis auxilio, sævissimas sæpissime pleuritidas profligavimus, uti complures ægroti orci faucibus ἀνελπίστως erepti grati lætique adhuc fatentur. Licet posthabita atque neglecta prorsus a nobis fuerint speciosis titulis & vano verborum strepitu commendata nimis ab Auctoribus remedia & arcana antipleuritica, quæ longa serie recensentur ab Ettmullero, Dolæo, Barbette, Jonstono, Michaeli, Rolfincio, Sennerto, VVeckero, Guldenklee, Baronio, Bartoletto, & aliis innumeris, quæ tamen sæpius magis obsunt, quam prosunt, in primis si in illotas imperitorum manus venerint, dum in eorum compositionibus sæpius humida aridis, frigida calidis, laxantia stypticis, dulcibus amara, acribus mitia; verbo, contra-

traria contrariis, concordia diſcordi conjunguntur, ut inde tirones ambigui & præ nimia copia inopes neſciant, quid potiſſimum eligere & ſequi debeant. Legant potius relegantque diligentiſſime Hippocratem, qui omnium optime & exactiſſime de hoc morbo tractavit, item Aretæum, Alexandr. Trallianum, Cæl. Aurelianum & Corn. Celſum; poſt hos vero indefeſſo ſtudio evolvant ſummos artis ſalutaris antiſtites ſupra jam laudatos, Sydenhamum, Baglivum, Moræum, Boerhaavium, Hoffmannum cum paucis aliis.

XI. Aliqua vero adhuc adjicienda hic eſſent de medela eorum, qui ex pleuritide empyici facti fuerunt, quod ſæpius accidit. Sed quia hoc novus eſt morbus, qui a male tractata & in principio neglecta pleuritide & tempeſtivæ venæ ſectionis intermiſſione ortum plerumque ducit, dum ſcilicet ſanguis coagulatus totus in pus converſus eroſis & ruptis puris acrimonia vaſis, in thoracis teſtudinem effunditur; ſtudio hic tacemus, lectoreſque ad Auctores ſupra laudatos ablegamus: in primis quum unum tantum viderimus, qui undecimo poſt die empyemate mortuus, ut prædixeramus. Interim merito deplorandi ſunt illi ægroti, qui vel ſua, vel medici culpa, in empyema incidunt; ſerius enim, aut nunquam, etiamſi paracenteſi feliciter tentata, priſtinam ſanitatem plene recuperant; ſed plerumque lente extabeſcunt & vitam miſere trahunt. Lateris enim ſuppurati inciſionem, inquit præſtantiſſimus Tulpius, equidem frequenter vidi inſtitutam: interdum quidem proſpere; ſed pluries infeliciter. Sive quod adimat pulmoni motum; ſive quod tamdiu plerumque continuet; ut vix id ſufferant vires; vel corporis totius, vel pectoris ſolius: cujus viſcera uſque eo infirmat frigidus ac indigeſtus aer, ut raro evadant mortem, quibus hac via pus elicitur. Veriſſime per Deum immortalem! & ſapientiſſime. Nec Medicus valde ſitiat occaſiones ejuſmodi ægrotos tractandi, memor ſemper veridici illius præcepti Hippocratici, deſperatis nullam eſſe Medicinam adhibendam.

CA-

CAPUT V.

Tradens decem singulares pleuriticorum historias.

I. AD consummandam Medicinæ gloriam ejusque indubiam veritatem asserendam, nihil omnino magis conferre, quam fidelem historiarum ægrotantium enarrationem, adeo tralatitium est, ut multis id probare velle supervacuum omnino videri possit, quia a multis jam perspicue ostensum, & res ipsa vociferatur. Præivit jam olim hac in re solus & summus fere observator Hippocrates, quem paribus fere passibus postea sequuti Aretæus, Trallianus, Ætius, & ex Latinis Celsus & Cæl. Aurelianus. Arabes deinde exorti passim pulchra quoque & scita observarunt; in primis Avicenna, Rhases, Haly Abbas & pauci alii; sed dum vanis speculationibus & superstitionibus nimium addicti essent, factum est, ut plus imaginationis oculis cernerent, quam corporis, & hinc plura fingerent, quam observarent. Successit recentior ætas, quæ multis quidem observatoribus fœcunda fuit; sed paucos ex eis fidos & genuinos habuit; mirabiles enim potius historias, quam veras, nobis tradiderunt, ut Amatus & Zacutus, Lusitani, & alii, quorum commenta passim recenset Jo. Schenckius in observationum variarum collectione. Sed laudem tamen summam merentur ex his Pechlinus, Ballonius, Prosper Alpinus, Bonetus, Lommius, Valeriola, Tulpius, Bartholinus, Forestus, Hildanus, Timæus a Guldenklee, Stalp. van der VViel. Superiore vero ævo ostenderunt, quomodo, exemplo Hippocratis, vera ægrotorum historia condenda esset, Sydenhamus, Baglivus; nostra ætas vero omnium felicissima fuit, quæ tulit Boerhaavium, Freindum, Meadum, Hoffmannum, Stahlium & paucos alios, quibus cum singulari voluptate & suo merito addo celeberrimum Hahnium, amicum & studiorum quondam socium conjunctissimum, qui in recensione Febrium Catarrhalium demonstravit, quomodo ad Hip-

pocratis normam decenter conscribenda esset ægrotorum historia. Hos magnos viros videbo an hic, e longinquo licet, tremulo gradu sequi possim in enarrandis aliquot pleuriticorum historiis, quas summo studio olim in adversaria conjeci, & nunc integra fide descriptas propositurus sum in lectorum commodum, ægrorum salutem, & artis nostræ gloriam atque ornamentum. Longum enim iter est per præcepta, breve autem & efficax per exempla, ut summus quondam Philosophorum pronunciavit verissime.

II. Initium ergo Anni dudum elapsi CIↃ IↃCCXXXIII. propter varios & inconstantes cœli mores, ferax fuit multorum morborum, & inter hos etiam sævas peperit pleuritides, quæ tum his in primis regionibus Rhenanis populariter grassabantur, ita ut mortales ægri inde catervatim morbo mortique darentur, ut poeta Epicureus loquitur. Complures tum meæ qualicunque curæ commissi fuerunt, ex quibus unum & alterum singularem casum hic proponere placet. Prodeat ergo jam

Æ G R O T U S I.

VIr juvenis XXV. annorum, statura mediocri, corpore gracili magis, quam pingui, compacto tamen, nervoso & sanguine pleno, facie rubicunda, nare acuta, oculis vividis, vitæ genere strenuus Venator, dum d. 11. Jan. prædicti anni, sub jove frigido, alta in nive, pavidum leporem aut fulmineum aprum avide sectatur, & concalefacto per acrem cursum & indagationem corpore, plurimum aeris frigidi inspirando ingerit; subito horret toto corpore, pedibus languet, dorso dolet, adeo usque, ut ægre domum repetere valeat. Reverso sic lento gradu circa vesperam, flagrans æstus totum corpus, arida vero sitis fauces exurebat; ad hæc obscurus quidam & gravans dolor in dextro latere, in confinio verarum & spuriarum costarum, gliscebat. Hausto ergo capaci vini generosioris scypho, in sitis, ut temere putabat, remedium, sive potius incendium, cubitum discessit. Vix vero lecto compositus vehementius incalescebat, caput

dole-

dolebat, ſitis acrius urgebat, dolorque lateris atrocius ſæviebat & in acerbe lancinantem ſubito mutatus, reſpirationem intercipiebat. Suboriebatur ſimul tuſſicula dolores inducens, quæ miſerum ad pauca arida ſputa egerenda ſubinde ſtimulabat, quæ ipſi ſalſitudinem ſapere videbantur. Sic miſere per totam noctem excruciatus & maceratus, ſummo mane attonitus in pavimento videt, ſe ſputa cruenta ejeciſſe, & purpuream quaſi animam vomuiſſe, omnia enim circa lectum ſanguine fœdata erant. Die igitur ſequenti 12. dum ego arceſſor, video ægrotum viribus fractum, facie rubicunda, collo inflato, oculis ſcintillantibus & protuberantibus: calor ad tactum ſummus, pulſus durus, frequens, ſerratus: reſpiratio ſuſpirioſa, laborioſa, cum clamore & ejulatu peracta. Statim quis ſit morbus, cognoſco, quoque in diſcrimine verſetur ipſe, pronuncio candidus. Haud mora, extemplo mediana vena brachii dextri pertunditur, ſanguiniſque unciæ circiter XV. educuntur, uſque dum arteriarum ictus pauliſper labaſcere, facies vero ægroti palleſcere videbantur. Tum vena vix percuſſa, omnia illa ſæva ſymptomata illico miteſcere viſa ſunt, ægerque dyſpnœea pene ſtrangulatus, ſpiritum nunc commodius trahere ſenſimque ad ſe redire cœpit.

Sanguis vero emiſſus ſimulac refrixit, conſuetam illam pleuriticorum tunicam albicantem, craſſam & tenacem perpauco cruori nigricanti innatantem induebat, certiſſimam ſummæ inflammationis teſtem.

Tum ægro Mixtura ſuperiori Capite commendata cochleari menſura, per horas ſumenda præſcripta eſt. Ptiſana quoque hordeacea cum oxymelite & nitro frequenter calide haurienda oblata fuit.

Topica quoque fomenta & epithemata paregorica ex herbis emollientibus lacti incoctis laneiſque pannis exceptis lateri dolenti jugiter calida applicata fuerunt cum inſigni levamine.

Sub veſperam vero, ubi febris recandeſcere animaque arctius rurſus meare videbatur, injectum eſt clyſma ex aqua hordei cum oxymelite & nitro, unde his alvus ſoluta eſt commode, exturbatis ſimul multis flatibus.

tibus. Noctem tum satis placide transegit gustumque dulcissimi somni per aliquot horas hausit.

Sed breve fuit gaudium spesque fere irrita. Mane enim sequentis 13. experrectus sensit omnia mala hactenus consopita vehementius recrudescere, spiritusque officinam insolito pondere iterum premi. Adhæc intumescebat facies cum collo, irrequies volutatio, tussis pertinax cum sputis cruentis, urina quoque flammea, pellucida, sedimenti expers, lingua arida, alba cum virore, halitus fœtidus calidusque.

Vena igitur in eodem dextri lateris brachio iterum pertusa, sanguinisque ad uncias x. circiter aut xii. emissum, qui colore & consistentia idem propemodum erat, ac primum eductus, nisi quod crusta alba paullo tenuior appareret. Mox acrior vis morbi iterum ex voto desæviit, æstus remisit, respiratio liberius reciprocata, & æger paullo post levi sudore perspersus melius habere cœpit.

Interim eadem omnia remedia superius commemorata intus & extra studiose cum successu adhibita. Sub vesperam quoque iterum alvus enemate laudato sollicitata ter dejecit fæces copiosas, nigras, fœtidas, intermistis flatibus, insigni cum emolumento.

Nox iterum placide peracta, & somno indulsisset liberalius, magna enim dormiendi inerat cupido, nisi tussis nimium exacerbata & ad sputa egerenda perpetim stimulans, suavissimam quietem misero vehementer interturbasset.

Nihilominus D. 14. omnia repente in melius mutata videbantur: spiritus fere sine anhelitu, sine labore & molestia ducebatur, dolor lateralis hactenus acutus & lancinans, nunc obtusus, modo & per intervalla vibrans sentiebatur, pulsus debilis quidem; satis enim rhythmi tenax, lingua humidior & flexilior. Urinæ nunc primum turbabantur, & tenuem sedimenti umbram repræsentabant. Sputa nunc magis cocta, copiosiora & sanguineis tantum striis aut filis pilisve distincta comparebant. Alvus quoque sua sponte liquida copiose dejecit: appetitus etiam ad cibos redire nonnihil videbatur; Et sic vana spe ducebamur, omnia nunc ex voto successura.

Nihil

Nihil igitur illo die tentatum, nec Clyſma quidem injectum, ne ſcil. naturæ operantis molimina ſalutaria temere interturbarentur. Latus tamen ſemel iterumque inunctum, & ptiſana hordeacea aliquoties ad ſitim fallendam ſumpta. Nox inſequuta inſomnis quidem; haud tamen valde moleſta aut doloribus inquietata.

Sed D. 15. omnia in pejus ruere videbantur. Æſtus ſummus recanduit, anhelitus ſuſpirioſus, laborioſus, inſpiratio moleſtiſſima cum gemitu & lamentatione; facies rubicunda, oculi extantes & inter dormiendum ſemiclauſi & albi quid oſtendentes, ſtridor per fiſtulam ſpiritalem ſonorus, anxietas & jactatio perpetua, pulſus durus, ſerratus, intermittens quandoque, ſputa plane ſuppreſſa, remanente tamen tuſſicula cum ſummo dolore; ſtupor ſenſuum omnium fere, nec mens ſatis ſibi conſtans. Urina iterum flammea, tenuis, clara, nec cum nubecula, nec ſedimento, guttatim & cum ardore parce emiſſa, etiam inſcio interdum: verbo, omnia ſupremi diſcriminis & ſtatus periculoſiſſimi ſigna manifeſta.

Statim igitur injectum eſt clyſma, ſed ſine effectu; admota quoque tibiis veſicatoria, incaſſum plane; neque enim ægroti perpetuata inquietudo illa ferebat, ut rite applicarentur, lociſque affixa adhæreſcerent.

Hinc omnia atrocia illa mala ſubito per horas ingraveſcebant, adeo uſque, ut circa meridiem, me quidem abſente, ægrotus vehementer deliraret; & furioſo ſimilis, e lecto proſiliret; ſed fatiſcentibus viribus, mox examinis fere in terra concideret.

Trahitur igitur potius, quam ducitur, a duobus famulis & ſellæ imponitur. Tum ego ad miſerandum hoc ſpectaculum ſubito evocatus, video, attonitus, miſellum moribundo aut mortuo jam ſimillimum. Facies pallida, naſus acutus, tempora collapſa, os lividum, oculi torvi, rigidi & obſcuri, frigus per totum corpus, pectus cum ſterno tumidum & elevatum, abdomen contra retrotractum, pulſus intermittens, myurus & adeo debilis, ut ſæpe vix percipi poſſet, reſpiratio plane intercluſa, caput cum collo flaccidum, pendulum & in humeros recumbens, vivida ubique

mor-

mortis imago, verbo, adeo uſque conclamata omnia atque deſperata videbantur, ut & mulierculæ quædam, quas ſubitus rumor clamorque vitio iſtius gentis, huc acciverat, jam de amiculis feralibus rebuſque mortuis conquirendis; ſerio ſeduloque cogitarent.

Mihi vero in his ſupremis anguſtiis conſtituto conſiliique inopi experiri tum demum placuit, ecquid tandem tertia venæ ſectio præſtaret; nullum enim plane remedium mihi tum omnia acriter circumſpicienti & mecum volventi facile occurrebat, quod tutius, celerius & præſentius auxilium ferre poſſet, quam quidem phlebotomia.

Juſſi igitur, ut pedes frigentis & jamjam morituri calido balneo ſtatim immitterentur. Quo facto dextri pedis venæ vulnus ſat vaſtum lanceola inflictum; aſt incaſſum prorſus, ne guttula enim cruoris quidem prodibat: idem mox tentatum in altero pede; ſed eodem irrito plane molimine. Omnes ergo importune clamabant ne ægrum amplius excruciarem, quem ego ſervare haud poſſem, in orci quippe limine jamjam conſtitutum, nec inviderem miſero bonam mortem, cui dare vitam nequirem.

Verum hæc dicteria aut parum curans aut auſcultans, mandavi iterum, ut ferventior adhuc aqua immo ferventiſſima, affunderetur. Quod tanta quidem ſolertia præſtitum fuit a miniſtris, ut bullulæ excitarentur in ægroti pedibus & epidermis abſcederet. Sed ſaluberrimo per Deum, & feliciſſimo eventu effectuque. Utraque enim vena antea fruſtra percuſſa, nunc voto noſtro perfecte reſpondebat, ſatiſque largam ſanguinis copiam læta ſcaturigine ejaculabatur, ita ut XII. aut amplius vitalis laticis unciæ in aquam defluerent.

Tum vero mirabilem prorſus rerum viciſſitudinem lætamque cataſtrophen vidiſſes. Mox enim a ſectis venis, vividus color faciei, blandus calor corpori, liberior ſpiritus pectori & fortior ordinatiorque ictus arteriis redibat, noſterque ſemimortuus venator ſenſim reviviſcebat, ſeſeque ex vaſtiſſimo quaſi altiſſimarum aquarum gurgite in dias luminis oras emerſiſſe lætus piuſque prædicabat, mirantibus & gratulantibus nobis omnibus.

Le-

Lectulo ergo compositus, hora vix elapsa, in profundum somnum delapsus arctius quievit, rhonchosque duxit sano similis: Manabat interim omni corpore tepidus sudor, ut guttæ ubivis destillarent. Post quinque demum aut sex horas expergefactus, ptisanarium hordei poposcit, quo affatim hausto, iterum somno obrutus, usque in auroram placide obdormivit.

Tum vero somno vix excusso, mane seq. D. 16. vehementius conqueri cœpit de scapularum & dextræ præsertim, dolore ingravescente & lancinante, lamentantibus cunctis & novam Tragœdiam orituram suspicantibus.

Ego autem tum forte superveniens, tam læto faustoque accepto nuncio, merito exultans, gratulatus sum ægroto de tam salubri vitæ & sanitatis futuræ signo, eum bono esse animo jussi, certamque salutem prædixi. Interim admota sunt ad speciem fomenta paregorica scapulis dolentibus. Pulsus interea æqualis, etsi aliquando languidus, respiratio commoda, aut nullus fere, aut perquam exiguus lateris dolor. Sputa quoque tum prodire denuo cœperunt decoctiora, copiosa & subflava. Circa vesperam largissimus per totum corpus sudor diffundebatur cum insigni levamine, qui per omnem noctem duravit, quam sat placide transegit æger, nisi quod scapularis dolor & frequens ad vesicam exonerandam stimulus eum subinde excitarent.

Mane, D. 17. omnia in melius ire incipiebant, continuabat largus calidus & rorulentus sudor; sputa multa absque molestia projiciebantur, & urinæ copiosæ, turbidæ, & cum crasso largoque sedimento ex rufo albescente prodibant; non sine perfectæ & salutaris criseos significatione. Cibum quoque cum voluptate appetiit æger, & noctem sequutam commode egit jucundo somno, sed & largo sudori immersus.

D. 18. Omnia symptomata evanuisse visa sunt, & adeo viribus sese refectum sensit æger, ut & erectus sedere, & baculo innixus aliquot passus in cubiculo lento gradu perficere posset.

Sudor tamen & hoc & seq. die 19. permanebat, sputa

ſputa copioſa prodibant, & urinæ pariter multæ cum albo & floccoſo ſedimento. Quare nihil amplius actum, quam ut linctus ad pectoris expurgationem levandam ſupra laudatus præſcriberetur.

Et ſic per Dei gratiam hic æger conclamatus jam & deploratus perfecte convaluit, & in hunc uſque diem vitam commodam & jucundam nullis morbis obnoxiam lætus ducit, excuſſa quamvis interea ingrato pectore accepti beneficii memoria. Pauci enim ſunt tam grati, ut quod acceperint, etiam ſi non vident, cogitent, ut Seneca noſter ſapienter monet Lib. I. de Benefic. c.12.

Æ G R O T U S II.

UXor Textoris, annorum XXXIII. ſtatura mediocri, temperamenti cholerici, ad iram facile proclivis, ſicca, macra & lignea dorcas, aliquot jam liberorum mater, d. 12. Febr. ejuſdem Anni; ex nundinis vicini, aere gelido, pluvio & nebuloſo domum anhela properans, metu ingruentis & præcipitis noctis, ſtatim ſe levi horrore, mox vehementiori æſtu per univerſum corpus occupari perſentit; ſubſequentibus eodem fere temporis puncto, cephalalgia, lumbagine, & dorſi dolore, qui ſenſim anteriora verſus proſerpens, mox in dextrum pectoris latus acuti pali ad inſtar fixus, intenſos dolores pungentes excitabat. Nox ergo inter flagrantes æſtus, ſitim urentem, & ſuſpirioſos anhelitus miſere conſumpta cum notabili virium omnium imbecillitate. D. 13. mane omnia adhuc pejora, ſuccedente inſuper inani tuſſiendi cupidine; pauca tum ſpumoſa cum ſummo lateris dolore rejecta ſanguineis ſtriis & fibris quaſi diſtincta. Data varia ſunt remedia domeſtica a mulierculis vicinis perperam ſedulis & more ſexus ſui nimium curioſis, ac medicinam temere & ridicule affectantibus commendata; ſed quia calidioris plerumque & acrioris erant indolis, plus damni attulerunt, quam emolumenti. Supervenit enim his circa meridiem longe atrocius adhuc malum, nempe liquida diarrhæa ventris duritie ventoſa & vehementioribus torminibus ac borborygmis ſtipata; Frequens ergo & urgens ad la-

ſanum

ſanum ſurgendi deſiderium, ita ut intra Nychthemerum decies & amplius ventrem deponeret miſera & viribus pene exhauſta, unde ſenſuum ſtupor, crebræ lipothymiæ, tinnitus aurium, reſpiratio ſuſpenſa, ſæpius cum ſuffocationis metu intercepta, pulſus exilis, debilis, vermiculans, vix ſenſibilis, ſputa plane ſuppreſſa, fatiſcentibus ad tuſſiendum & egerendum morbi furentis ſævitia, viribus: ita deplorata fere jacuit miſera deficiens animo, mœſto cum corde, per integram noctem, ut eam ad auroram uſque vitam hoc pacto protrahere poſſe, ſperaret adſtantium nemo.

D. 14. ſummo mane arceſſitus ego deprehendi & edixi ſtatim, quam in præcipiti ſtarent res ægræ, quantoque in vitæ diſcrimine verſaretur, ita ut vix ſpei aura levis ſupereſſet; niſi liberior reſpiratio promoveretur, ſublata ſputatio excitaretur, & funeſta denique diarrhœa non penitus quidem ſupprimeretur, ſed placide tamen mitigaretur.

Pulſu ergo pro rei & morbi natura ſat valido & æquali deprehenſo, intrepide venam in dextro brachio pertundere imperavi. Sanguinis tenacis & nigri ægre & lente profluentis extractæ ſunt Unciæ fere decem, conſueta pleuriticis alba tunica glutinoſa ſuperficiem obductæ. Auctæ ſunt hoc diſpendio, quis credat? ægrotæ potius vires, quam fractæ: Paullo poſt liberius meante ſpiritu & ſputis notabili copia cum modica moleſtia, per intervalla profluentibus, ſpumoſis tamen adhuc, incoctis & florido ſanguine tinctis.

Tum pro uſu interno præſcripta eſt Mixtura noſtra conſueta ſuperius laudata, exterius vero lateris laborantis regio frequenter calide inuncta linimento antipleuritico noſtro aut Boerhaaviano ſupra quoque commendato, panniſque calefactis obtecta.

Ad pertinacis vero adhuc diarrhœæ ferociam aliquantiſper compeſcendam, propinati ſunt bis per diem pulveres ex Lapidibus cancrorum, coralliis rubris, Matre perlarum, bolo Armeniaca, Terra ſigillata Lemnia, aliquot granis Lapidis prunellæ & Corticis caticis caſcarillæ remixti.

Ad hæc oblata ſunt blanda ptiſanaria ſubpinguia

ex

ex hordeo, Oryza, & jure vitulino cum tantillo florum Macis parata, partim ad refocillandas ægrotæ vires nimium dejectas, partim quoque ad sordidi ventris profluvii, tunicam intestinorum villosam continuo vellicantis & tantum non erodentis, acrimoniam modice castigandam & obtundendam, quare & vesperi injectum clysma ex solo oleo lini tepido.

Nec sperato successu caruit hæc nostra medendi methodus. Mitescere enim tunc visa sunt omnia; Nox insequuta satis placida nec somni plane expers: venter tamen eadem sexies fluxit, sed sine gravi molestia aut tenesmo, qui antea ægram post singulas dejectiones miserrime excruciaverat.

D. 15. optima quævis sperare adhuc licebat, quare iisdem remediis tam intrinsecus quam exterius adhuc intrepide perrectum. Sollicitos tamen nos adhuc valde reddebat sitis inexsaturabilis, contumax ventris profluvium nullis plane remediis auscultans, sputum penitus fere suppressum & vis vitalis per nimias alvi dejectiones pœne exhausta; quater enim hac die ad sellam urgebatur, & quinquies per noctem; quare merito de die futuro timebamus, qui erat primus criticus.

Nec augurium triste fefellit: post noctem enim perquam molestam & insomnem, D. 16. omnia in pejus ruere & summum vitæ exitium minari videbantur. Jacebat ægra tetro aspectu supina, pendentibus de lecto pedibus, sensus omnis expers, altissimo sopori aut lethargo immersa; sterno elevato, intenso nisu rhonchos sonoros & strepitantes ducente, facie prætumida & livida, qualis fere esse solet in cruce & furca periturorum, pulsu exili, tremulo, myuro, per vices intermittente.

Ad hæc gelidus, viscidus olidusque toto corpore emaciato manabat sudor, insciaque plane & dolio pertuso similis, vesicam juxta alvumque fœde in lectum exonerabat aliquoties, relaxatis nempe utriusque partis minus honestæ præter naturam sphincteribus & repagulis.

Certissimam igitur instare mortem tristes fatebamur omnes.

Ne

Ne vero nihil plane agerem & otiosus tantum lacrymosæ hujus Tragœdiæ essem spectator; omissa venæ sectione, quippe quæ deplorato hoc rerum statu, nec satis tuta videbatur, nec multum profutura, metus enim justus suberat, ne vita prius exiret, quam sanguis; bina prægrandia vesicatoria ex pulvere cantharidum parata utrique suræ illico applicanda præcepi.

Admota simul naribus errhina, temporibus crotaphia & manibus denique epicarpia ex validissimis spiritibus volatilibus & aquis analepticis confecta, eum potissimum in finem, ut veternum sic excuteremus, animulamque vagulam jamjam in limine pallentis orci constitutam, si forte pote, revocaremus.

Precibus ergo ad Deum porrectis, a plerisque discessum, paucis exceptis ægræ curam gerentibus, tanquam nunquam vivam revisuris.

Verum horis sex septemve jam elapsis, flexo in vesperam die, ecce nostra semimortua præter omnem spem atque opinionem, subito sua sponte evigilat, & hactenus actorum prorsus ignata, de virium saltim languore, siti exquisita & urente, in primis pedum dolore vehementius conqueritur.

Incisis ergo suspensa manu turgidis bullis a cantharidibus ex voto elevatis, & post ingentem saccati humoris serosi vim profusam, iterum apte obligatis, sicque doloribus nonnihil mitigatis, ægra capacem vini scyphum poscit: quo avide & ἀμυστι epoto, quis enim tale quid denegare auderet jamjam morituræ? Paullo post ad placidam quietem sese composuit, in dextrum latus reclinata.

Sic igitur jacentem dulcis & alta quies placidæque simillima morti, ut Poeta ait, una serie pressit per integram noctem, usque in dimidiam sequentis diei partem, sudore interea tepido, critico & salutari toto corpore largiter defluente, letalique ventris fluxu nunc primum sua sponte consopito.

D. 17. Paullo ante meridiem demum expergefacta viribus sese mirum in modum refectam læta persensit, cibique quid avide poposcit, nihil amplius con-

que-

questa, nisi de intenso colli & scapulæ dextræ dolore, salutari profecto omine.

Paullo post successit quoque suæ spontis sputatio larga, facilis, cocta, salutari flavedine, nulloque amplius sanguine tincta, promota amplius linctu nostro ordinario pectorali ex ol. amygdal. dulc. recens presso, cum syrupis violarum, jujubarum, spermate ceti & saccharo Canto purissimo parato.

Tum placidus per noctem sequutus somnus, tussicula tamen nonnunquam interruptus, mandente interim blanda sudatione toto corpore.

Demum D. 18. perfecte judicata est ægra, manantibus adhuc largius sudoribus, urinisque magna copia nunc primum prodeuntibus turbidis, coctis, nec non levi, albicante & salutari sedimento præditis.

Sicque tandem brevi plene convaluit deposita hæc & jamjam pene conclamata pleuritica, præter omnium spem atque opinionem, miraculo quasi aliquo; gaudentibus cunctis, solo indignante egregio marito, qui nimium profecto pius, divam eam maluisset, quam vivam; fœmina enim credebatur rixosa, pervicax & incommoda, insuperque vino quoque devota, ita ut, si hæc vera, morte dignior videretur, quam vita: sed hæc nihil ad nos medicos, qui morbis corporis medemur, non animi: quibus propulsandis Socrates potius opus est, quam Hippocrates.

ÆGROTUS III. & IV.

LUbens hic conjungam fidos duos sodales, quos & idem vitæ genus, & eadem vis morbi, & idem denique faustus eventus conjunxit.

Duo stabularii, unus Joannes, juvenis sanguineus, torosius & succi plenus, XXI. annorum, alter Petrus, procerus & macilentus, sanguineo -- phlegmaticus XXXIII. annos natus, D. 16. Februarii post diurnas sub jove frigido in nive alta fatigationes & compotationes in seram usque noctem continuatas, uno eodemque temporis puncto pleuritide corripiuntur, ingruentibus subito omnibus iis sævis symptomatis, pleuritidem alias comitari solitis.

Ma-

Malorum ergo imminentium ignari, aliquot ſpiritus vini hauſtus, more iſtius duræ gentis, avide ingurgitant, ſic temere curaturi dolorem lateralem, quem ex heſterna crapula in ventriculo obortum falſo ſuſpicabantur. Hærebat enim lateri letalis arundo, ut cum Poeta ſic loqui liceat.

Sed incendio ſic inflammato potius, quam ſufflaminato, omnia in pejus ire cœperunt, æſtus & ſitis acrius incanduit, aucta ſpirandi difficultas, cum metu ſuffocationis; dolentis lateris dextri puncturæ magis exacerbatæ, ſputa cruenta cum vehementiſſimo & moleſtiſſimo thoracis niſu projecta; acceſſit ſuper hæc Joanni grave delirium, ita ut multa aliena & turpia, horrentibus adſtantibus, loqueretur.

Jacuerunt tamen nihilominus hi miſerrime affecti ſodales per integrum adhuc diem 17. me plane inſcio, ſalutis ſuæ nimium negligentes, in ſtabulo ſubfrigido, carentes omnibus fere vitæ & ſanitatis præſidiis.

Nocte igitur moleſtiſſime ſine ullo dulcis ſomni guſtu conſumpta, ſummo mane D. 18. ego demum arceſſor, videoque attonitus, quam in deſperato loco res ægrotorum, in primis vero Joannis, ſint collocatæ.

In commodius ergo & nonnihil calefactum cubiculum utriſque ocyus delatis lectoque mandatis, mox venas aperire jubeo, & ut ſemel experirer, quantum diſcriminis intereſſet inter venæ ſectionem loco affecto proximam, & inter alteram, ab iſto longe remotiorem, Joanni, quem ſæviſſima delirii & ſuffocationis ſymptomata adhuc vehementer urgebant, e brachio dextro uncias ſanguinis extraxi quemadmodum duodecim: Petro vero totidem quidem & amplius, ſed e pede dextro.

Quo facto, ille prior, vix duabus horis elapſis, illico ad ſeſe rediit, liberius reſpirare faciliuſque ſputa emoliri cœpit, in ſomnum quoque delapſus, per aliquot horas dein placide quievit, leni ſudore totum corpus perſperſus; nec iterata venæ ſectione per omnem morbi decurſum opus habuit unquam.

Petrus vero nihil plane levaminis ex venæ ſectio-

ne sentiens, majoribus cordis anxietatibus & respirationis difficultatibus sese subinde affligi vehementer conquerebatur. Præscripta tum ipsi sunt varia pleuriticis alias grata & commoda remedia passim jam laudata; injectum quoque sub vesperam clysma nobis consuetum: sed omnia incassum, aucta enim sensim, non imminuta, mala, noxque insequuta molestissima, horrendis pavoribus turbata & plene exsomnis, socio illo suo eandem contra sat commode & quiete transigente.

Meliora igitur & certiora hoc ancipiti experimento edoctus, mane D. 19. eidem venam brachii dextri incidendam curavi, eductoque ad Uncias fere decem sanguine, statim liquido patuit, quam ingens ratione effectus & utilitatis, intercedat discrimen venæ sectionem inter loco affecto proxime institutam, & inter alteram in loco a mali sede longius dissito, veluti pede aut brachio opposito, celebratam.

Sancta enim fide asseverare possum, currente adhuc sanguine & nondum obligato vulnere, ægrotum jamjam tantum levaminis & commodi percepisse, ut lætus nobis fateretur, sibi ita videri, quasi grave aliquod pondus e pectore suo hactenus oppresso, subito deorsum devolutum esset. Neque vana sibi somnia finxisse, eventus affatim docuit; omnia enim ab eo die in melius mutari cœperunt, & mitigatis sensim atrocioribus symptomatis præcedentibus, ex sequuta paullo post liberaliore sputatione & salutari prorsus scapularum & clavicularum dolore, conjicere haud absurde licuit, lætissimam certæ salutis spem jamjam affulsisse.

De nostra vero methodo medendi in his duobus ægrotis observata nolo studio quidquam hic addere, quia enim eadem prorsus fuit, qualem in binis præcedentibus historiis, exceptis tamen vesicatoriis, longe lateque exposuimus, tacere sane præstat, quam unum idemque ad nauseam usque repetendo crambemque decies jam coctam recoquendo, lectorum patientiam nimium & præter rem defatigare.

Verbo saltim hic monere liceat, utrumque horum ægrotorum decurso feliciter morbi spatio, perfecte judica-

dicatum fuisse, Joannem quidem die septimo, Petrum vero nono, remanente saltim in utroque levi tussicula, quæ tamen progressu temporis, infuso ex herbis pectoralibus cum lacte & melle frequentius sumpto, feliciter quoque fuit expugnata.

Eum autem potissimum in finem allata hæc singularis Historia notari & memori mente reponi meretur a Medicinæ Tironibus, ut scilicet discant exinde id, quod supra jam aliquoties pro viribus inculcavi, nullo plane alio in loco, quam sedi affectæ proximo, primam venæ sectionem esse administrandam. Locis enim affectis succurrendum, non sanis adhuc & intactis: neque profecto sapiens ad incendium aliquod extinguendum, loco a flamma remotiore necessaria instrumenta parat, ignemque interea alibi impune sævire & late divagari sinit; sed eo potius cum hamis, urnis & siphonibus propere festinat, ubi jam proximus ardet Ucalegon: quo sit, ut loca flammis jam correpta a præsenti exitio vindicentur; salva vero atque innocua adhuc ab imminenti tuta præstentur. Quare adhuc iterum iterumque insto, urgeo atque flagito, sanguinis pleuriticorum incendium eo ipso in loco, ubi fomes mali latet, potius esse restinguendum; quam alibi & e longinquo, ad delenda ignis semina frustra succurrendum. Neque defore crediderim sanas mentes, quibus & veritas placeat, & monstratum sibi rectum iter & videant & sequantur.

ÆGROTUS V.

VIR juvenis, XXVII. annorum, statura augusta, toroso & quadrato corporis habitu, cholerico sanguineus, duro victui potuique spirituoso nimium assuetus, raro domi, semper fere ruri & in equo, D. 19. Februarii, inter equitandum asperrimo frigore perustus, in sævam subito pleuritidem incidit, acutissimo dolore dextrum thoracis latus compunctus, cum summa respirandi angustia & inani, sed anxifero tussiendi conatu.

Quibus per noctem, ut fit, magis ingravescentibus,

bus, æger in his anguſtiis conſtitutus, de ſalute deſperare & nihil niſi ſuprema cogitare cœpit, vix enim ob intolerabiles prorſus cruciatus uſque in auroram vitam miſeram extracturus videbatur.

D. 20. igitur, me tum peregre profecto, alius aliunde accitus Medicus, qui atrocis morbi indolem aut neſciens, aut diſſimulans, nec de venæ ſectione, nec de aliis juſtis præſidiis ocyus, ut decebat, applicandis, ſollicite cogitat; ſed temerario prorſus conſilio Eſſentias alexipharmacas & crocinas cum ſpiritibus volatilibus, ut & pulveres Bezoardicos aliquoties ingenti copia per diem ſumendos præſcribit; oleum ſic eheu! camino additurus & incendium flamma ſtolide extincturus.

Omnia ſic magis exacerbata atque pejora facta fuiſſe, nemo, credo, facile negaverit, cui modo acutorum morborum & pleuritidis in primis, fervidum & irritabile ingenium paullo penitius fuerit perſpectum.

Mirum ergo non eſt, ægrum, robuſtum juvenem, ſucci plenum & ſanguine æſtuante turgidum, hactenus leviter tantum delirum, nunc furioſo ſimillimum, e lecto proſiliiſſe, in adſtantes involaſſe, ſtragula diſcepſiſſe, ſeſe equi aut canis verminoſi ad inſtar, fœde in terra volutaſſe, tantoſque ſtrepitus, tumultus & clamores excitaſſe, ut omnes fere aufugerent, acerrimum Herculis hujus aut Rolandi furentis impetum merito haud expectaturi.

Pertinaciter nihilominus adhuc inhærebat perverſæ ſuæ medendi ſive necandi potius methodo artifex noſter, pene dixiſſem carnifex, nihilque prorſus flagrantibus laborantis naturæ deſideriis auſcultabat, licet illa certum ipſi ſalutis iter monſtrans, ruptis repagulis, ſanguinem non ſolum per ſcreatum, ſed & per nares, quin & alvum adeo ipſam, ſubinde exturbaret.

Nec adſtantium ergo iteratæ preces, nec ipſius ægri ardentiſſimæ flagitationes tantum ab homine male pertinaci impetrare valuerunt, ut venam ſecari permitteret, neſcio quod imaginarii periculi velum ignorantiæ ſuæ obtendente. Clyſterem tamen ſub noctem injiciendum conceſſit, ſed ex ſpeciebus calidis & carmi-

minativis sic dictis, cum oleis quibusdam coctis paratum, hincque pariter plus damni, quam emolumenti, infirmo importantem.

Sic misere tres integri jam dies abierant Ægroto nostro in summo vitæ discrimine constituto, & solius prævalidæ naturæ beneficio, non medici contra nitentis ope, in hunc usque diem, servato; quum ego ex itinere redux, statim advocor D. 22. miseratus jure infaustam ægri sortem, luctuosumque, cui aliena potius culpa, quam sua, destinatus videbatur, exitium.

Omnibus igitur huc usque usurpatis remediis merito repudiatis, methodoque tractandi plane improbata, aliam viam, qua certius iretur ad salutem, mihi eligendam censui. Sine mora ergo pertusa est vena brachii dextri, emissumque sanguinis ad uncias pœne xv. usque dum arteriarum ictus languescere inciperent, animoque paulisper linqui cum pallore vultus, videretur ægrotus. Pulsus enim ab initio sat validus, fortis & durus largam omnino venæ sectionem imperabat, accedente in primis perquam robusto corporis juvenilis & sanguinei habitu.

Propinata tum sunt consueta nobis remedia, mixtura nempe antipleuritica, cum oxymelite, ptisana hordeacea, unguentum paregoricum inungendo calide lateri dolenti destinatum, & pauca alia supra jam commemorata.

Hinc paullo post alia plane lætiorque rerum facies, redeunte ad se ex gravi delirio, liberius respirante, sputaque, sanguine tamen adhuc tincta, commodius egerente ægroto, qui sibi jam quasi renatus aut ex ignito Perilli tauro ereptus videbatur, furente intus æstu maximam partem extincto, sitique inexplebili & acerbo lateris dolore ut plurimum consopitis.

Sub vesperam dato pulvere temperante nitroso, cui nonnihil camphoræ purissimæ adjectum, immissum est enema ex solo lactis sero tepido, cum pauxillo mellis & momento Nitri depurati paratum. Unde insigne sequutum levamen una cum nocte tranquilla nec somno plane carente.

D. 23. vero omnes nostræ spes factæ fere sunt irritæ,

ritæ, reſurgente repente morbi vi ſummumque ſuffocationis periculum minitante. Quo ipſo æſtus febrilis recanduit acrius, ægerque nunc ſitum centies immutando, nunc floccos de ſtragulis legendo, nunc denique muſcas in pariete venando, inani opera occupatus, haud ita multo poſt in apertum & horrendum delirium relabebatur, in quo illud potiſſimum ſingulare animadverti, quod lucis diei hominumque aſpectus mirum quantum impatiens, caput ſemper ſolicite obvelaret, remoto vero velo, vehementius ſemper fureret & e lecto proſiliendo præſentes in fugam conjiceret, qui ridiculus velandi mos in ſeptimum uſque duravit diem, quo ſenſim ad ſeſe rediit ex delirio miſer hic pœnis agitatus Oreſtes.

Tanta itaque malorum caterva una ingruente, præſentiſſimumque auxilium efflagitante, mihi inter ſacrum quaſi ſaxumque ſtanti planeque ancipiti nullum generoſius & parabilius ſimul remedium ſuccurrebat, præterquam iterata venæ ſectio, Clyſma enim, deplorato hoc rerum ſtatu, nec ſatis efficax videbatur medicina, nec veſicatorium ſatis tuta, tremores enim jam paſſim artus ægroti ſuccuſſabant, unde metus haud vanus ſpaſmorum per veſicatoria incautius adhibita, ut ſæpe accidere ſolet, excitandorum.

Reluctantibus igitur licet cunctis, propoſiti tamen tenax, increbeſcentibus in primis arteriarum rhythmis, venam in pede dextro aperiri juſſi, ſanguiniſque nigri & viſcidi eductæ ſunt unciæ propemodum decem; ſine notabili quidem ab initio effectu. Aliquot vero poſt elapſis horis, deferbuit paullatim febris incendium, delirium mitius & per intervalla tantum ſæviit, liberiorque anima una cum faciliori exſcreatione ex voto noſtro rediit.

Perrectum itaque ſtrenue iiſdem remediis tam internis quam externis, quæ hactenus non ſine ſucceſſu in uſum fuerant advocata. Sub veſperam vero injectum clyſma ex aqua hordei, melle, nitro & ovi vitello, unde ter blande dejecit æger, non ſine inſigni levamine.

Noctem ſequutam male ſoporatam quidem habuit
va-

variisque vanis imaginibus interturbatam, stimulante subinde crebrius tussicula; tolerabilem tamen & satis facilem, modeste enim sese inter lecti fines continuit, nec situm sæpius mutavit, sed resupinus plerumque quiete jacuit, operto tamen semper pro more capite, quasi feralibus institis jamjam velatus.

D. 24. Urina mane emissa flammea & rubicunda valde, ut hactenus, apparuit, pellicula insuper unguinosa obducta, certo indicio, intestinam sanguinis pugnam adhuc fervere, æstuantemque humorum attritum nondum pacatum esse penitus.

Delirium quidem hoc die per intervalla invaluit; sed multo levius breviusque ac ante, intercurrente semper pudore & inepte gestorum recordatione, salutari profecto omine.

Circa meridiem somni aliquantulum cœpit; mox vero expergefactus, ex acuto scapularum & dorsi dolore vehementer lamentatus est, unde res ejus nunc in vado fore salubremque crisin instare haud vanus augur prædixi.

Siccis igitur fomentis locis dolentibus applicatis, fervidoque jusculo avenaceo cum oleo amygdalarum dulcium recens presso in alimentum sumto, paullo post in somnum iterum delapsus, largius sudavit toto corpore madidus.

Nocte plurimum jam provecta, demum evigilavit, lætus plane deque viribus mirum quantum per somnum auctis impense sibi gratulatus: Sudori tamen copioso adhuc quasi innatans, nova lintea, & ad sitim fallendam, ptisanæ haustum poposcit.

Tumque primum ex colloquiis cum adstantibus prudenter pieque habitis sublatoque sua sponte capitis operimento, perspicue patuit, sanam mente ipsi postliminio rediisse, exutoque velo, exutam quoque plane esse dementiam hactenus indomabilem.

D. 26. Sub auroræ exortum, sputa cocta, pinguia, flava, incruenta affatim citra molestiam, profluere cœperunt; urinæ quoque tum copiose redditæ sedimentum crassum, largum, maturum & ex lateritio subalbidum nunc primum deposuerunt; unde absolu-

ta per ſudores, urinas & ſputationes perfecta criſi; æger demum ex morbo tantum non letali, recuperatis pedetentim viribus, lætus aſſurrexit.

Adeo vero familiaris exinde factus ipſi fuit morbus hic pleuriticus, ut quotannis ſemel immo & bis (quod hoc ipſo anno accidiſſe, memini), eodem graviter decumbat, remanente ſemper aliqua ſpirandi difficultate, præſertim, ſi currere aut in locum editiorem aſcendere velit. Unde ipſi prædixi, mortem ex hac ipſa pleuritide annua aliquando orituram, niſi vitam & victum ſubinde mutet, aliudque vitæ iter ſectetur ſtrictis ſapientiæ & ſanitatis regulis magis accommodatum. Quale quid etiam de quodam ſacerdote 30. annorum adnotavit in Obſervationibus Med. Bernhard. Tetraſcha, qui in ſingulis annis, verno tempore, pleuritidem quinquies paſſus, a ſexta demum ſævi morbi acceſſione ſubito raptus fuit: quod & obſervavit Boerhaavius toties jam laudatus, nec ſatis tamen laudandus.

Hæ vero ſunt quinque illæ pleuriticorum hiſtoriæ juſto copioſius aut ſcrupuloſius ideo a me hactenus recenſitæ, ut Medicinæ Tirones morbi atrocis ſæva initia, celeres progreſſus, præcipitemque finem, una cum medendi regulis & cautionibus practicis uno quaſi obtutu accurate perdiſcant. Agitur enim de vita & ſalute, cui niſi caute & diligenter conſulatur, confeſtim amiſſa & extincta erit.

Reſtant nunc aliæ quinque ſelectæ ex quamplurimis, his mox ſubjungendæ, in quibus ſtrictim enarrandis ita verſabor, ut nec de obſcura brevitate, nec de verboſa rurſus loquacitate Lectores ullam juſtam habeant conquerendi cauſam.

Æ G R O T U S VI.

ANni proxime elapſi CIƆ IƆ CCXXXVIII. finis, & præſentis, quo nunc vivimus, CIƆ IƆ CC XXXIX. initium, propter cœli nimium inconſtantis & nunc per curta intervalla rigide algentis & nivoſi, nunc vero hiemis modeſtia, ſubito iterum blande tepentis & nimboſi,

va-

varium & mutabile ingenium in perniciem generis humani, data quasi opera, conspirasse videbantur: Ea enim tempestate non solum tetra cohors diversarum febrium, v. gr. intermittentium epidemicarum, anomalarum, catarrhalium, malignarum, exanthematicarum, petechizantium, erysipelacearum & continuarum &c. terris his nostris fœde incubuit; sed &, ne quid malis deesset, violentæ quoque atque terribiles impune grassatæ sunt insuper pleuritides, ut non plures solum vegeti & athletici habitus in anceps vitæ discrimen miserabiliter adducerentur; sed & multi ex his subita ferocis morbi vi indomabili eo ocyssime raperentur, quo eundum, proh dolor! omnibus, & unde tamen negant omnes redire quenquam. Ex quibus nunc singulares quinque casus DEI præpotentis auxilio, meaque levi opera servatorum & adhuc superstitum, bona cum Lectoris, ut spes est, venia studiose enarrare placet, omissis consulto longe pluribus, in quibus consueto naturæ constantis ordine servato, insoliti aut singularis nihil occurrebat.

Illustris Dynastæ famulus, Juvenis XXV. Annorum, temperiei phlegmatico-sanguineæ, carnosi spongiosique corporis habitus, pectore amplo & breviore collo, D. 11. Decembr. dicti Anni CIↃ IC CC XXXVIII. sub cœlo adstricto gelu horrido, diu multumque exercitatus, & ad sudorem usque æstuans, acuta pleuritide dextrum latus subito infestatur; invalescentibus una per insequutam noctem molestissime quidem vigilatam, sævis symptomatibus cunctis, dirissimum hunc morbum alias comitari consuetis.

D. 12. 13. Neglectus plane jacuit æger, nihilque actum aut propinatum, præter infusa quædam calida ex plantis pectoralibus, in sitis intensæ, cruciatusque thoracis medelam, sodalium & muliercularum consilio, parata, sed inani prorsus nihilque profuturo conatu.

D. 14. Insurgentibus subito mali suffocationem minitantis viribus, chirurgus tandem accitus, qui ultra emplastra olidaque unguenta nimis altum sapiens, ac falcem suam, sive potius novaculam, frequentius in alienam medicorum messem temere immittens, e cu-

bito

bito sinistro sanguinem mittit, sed nec congruo proprie loco, nec sat justa quantitate, extractis quippe vix septem Unciis, unde, ut conjicere est, nec ullum angorum lenimentum exinde sequutum, febrisque non tam tenuata aut levata, quam potius magis adaucta fuit, inprimis quum ingereret simul larga quidem manu, sed parca sapientia, Essentias calidas diaphoreticas & pectorales cum spiritibus volatilibus. Lætum ergo mirabilis medicationis eventum frustra sic expectando,

D. 15. sine omni allata ope alia temere consumtus est, adauctis licet subinde per horas æstu febrili, lancinatione laterali, difficultate spirandi, screatu sanguineo aliisque id genus malis catervatim ingruentibus.

Quæ quum per noctem intempestam plurimum adhuc incrementi caperent, ex consociatis sibi asthmate spastico, feroci delirio, tremore artuum, gelido sudore persperforum, aliisque ejusmodi funestis symptomatis, actum fere ac conclamatum fuit de miserrima juvenis afflictissimi vita.

D. 16. Eadem adhuc omnia: asthma, delirium, ardua cum lamentabili ejulatu peracta respiratio, frigusque membrorum nondum sese remiserant. Tum advocatus ego, attonitus tanto miserarum turbine rerum, auctor suasorque statim fui, ut in brachio dextro calidis pannis laneis prius bene perfricato, vena feriretur, sanguinisque prolicerentur unciæ propemodum duodecim.

Quo facto meliuscule habuit æger liberiusque respiravit & resipuit. Sanguis vero vase exceptus, albicantis sevi ad instar tenax, solidus atque compactus, more pleuriticorum consueto.

Propinatis interius & exterius consuetis nobis hoc in morbi genere remediis, Naturæ providentiæ commissum interea sanationis negotium.

Advesperascente die, exquisitus scapulæ & claviculæ dextræ dolor subito obortus ægroto lamentationes expressit, nobis vero gaudia & gratulationes, eo ipso enim spes salutis inchoare licebat.

Nox tamen insequuta, molesta, difficilis & insomnis

cum

cum anxietate summa, sputis denuo suppressis, & iterato suffocationis periculo.

Tum vero ab injecto clysmate antiphlogino ex hordeo, melle & nitro siluerunt mox sæva ista symptomata omnia, ventre multa liquida & flatuosa cum insigni levamine bis deponente.

D. 17. Hæc vix repressa recruduere cuncta: anxietas, inquietudo perpetua, æstus flagrans, sitis arida, excreatio difficillima, pulsus durus, frequens serratus, inæqualis, urina flammea, limpida, cruda, omni sedimento cassa, aliaque nonnulla indicia suspecta fidem nobis abunde fecerunt, difficilem admodum ambiguamque jamjam crisin instare, dies enim volvebatur septimus.

Ingesta igitur affatim ptisana calida cum oxymelle, item & per vices infusum Theiforme ex plantis diaphoreticis & pectoralibus, unde siti extincta, sævisque illis symptomatis consopitis, blandus sudor per totum corpus diffundi cœpit, singulari cum ægroti levamento.

Vesperi injectum iterum enema supra laudatum ad ventrem distentum flatibus nonnihil emolliendum: quo noctem expertus est præcedentibus longe pacatiorem levique per intervalla somno amœne distinctam.

D. 18. Nihil magnopere doluit, præterquam scapulas, claviculas & dorsum. Mens sibi pulchre constitit; pulsus debilis quidem & languidus; ad exactam tamen rhythmorum normam concinne compositus; Sitis exaruit. Ipseque sub prandium humanioris aliquid cibi sumsit cum appetentia; ita ut nunc omnia in melius procedere viderentur.

Vesperi alvus nihil sollicitata, bis sua sponte copiose dejecit, cum singulari emolumento. Unde noctem dulci altoque somno obrutus, jucundissime transegit, largo interim sudore tepido totum corpus salutariter perfusus.

D. 19. demum perfecta crisis læte affulsit, sudoribusque perpetim fluentibus, sputis pinguibus, coctis, flavis, magna copia prodeuntibus, & urinis nunc primum turbidis copiosumque sedimentum ex lateritio, rufo-

rusoque albidum præcipitantibus, morbus hic ancipitis aleæ ex ægroti voto speque nostra; tandem auspicato solutus fuit.

ÆGROTUS VII.

Historiam nunc describere adgredior acribus initiis agitatam, mira casuum varietate in decursu ambiguam, lenta temporis longinquitate suspectam, non ignobili medentis audacia notabilem; & læto tandem exitu finitam. Quam in gratiam Lectoris in compendium missurus, summa tantum rerum fastigia persequar, quidque singulis diebus actum aut observatum, circumcisa quidem, ast perspicua tamen, brevitate candide exponam.

Miles igitur præsidiarius, speciosus & supra vulgarem hominum mensuram procerus XXI. annorum Juvenis, temperamenti cholerico-sanguinei, nullis antea morbis obnoxius, post diu actas sub gelidissimo cœlo noctu excubias, d. 21. Decembr. atrocissima pleuritide in sinistro pectoris latere fixa subito corripitur; subsequutis confestim horrore, tremore, æstu, respiratione intercepta, sputis cruentis, & ne quid malis deesset, pernicioso quoque fluxu alvino sordido.

Jacuit nihilominus inter has ærumnas, nullo accito, ut decebat, auxilio, usque ad d. 25. animæ aut magnæ, aut vilis potius, nimium profecto prodigus.

Tum vero ingravescentibus simul supra modum sævis symptomatis; Chirurgus castrensis in subsidium demum advocatus, qui venam ipsi secuit in brachio dextro perperam omnino, nulloque cum effectu.

Nec profuerunt quidquam quæ idem ipsi affatim præbuit decoctum pectorale Augustanum aliaque bechica etiam validiora & majorem potius æstum inducentia, quam sedantia præsentem. Morbus enim pertinax nihil plane auscultavit, quin potius indies pejor & atrocior factus, adeo usque demum invaluit, ut D. 28. ægrotus animam efflaturus videretur. Haud enim nisi cum stridente ejulatu & sævissimo afflicti lateris dolore inspirare amplius poterat, febris simul ade-

aderat acutissima, lingua cum virore pallida, arida, fissa, urina flammea, limpida, cruda, sine sedimento, facies rubicunda, tumida, oculi prominentes, feroces, inquieti, pulsus durus, frequens, turbatus, inæqualis, alvus fluxa adhuc, abdomen retrotractum, pectus contra prominulum, hæc omnia conjunctim sumpta tristem nobis catastrophen merito denunciatura videbantur.

Tum ego primum accitus, hoc ipso, quod sane mirum, die, die inquam octavo, e vena brachii sinistri jussu meo, sine mora pertusa, sanguinis viscidi lardoque tenaci velut obducti detraxi uncias propemodum duodecim; durissimo partim urgentis necessitatis telo eo compulsus; partim vero illustri Hippocratis intimi Naturæ sodalis, prælucente exemplo invitatus, atque hinc audentior factus, quippe qui Anaxioni itidem pleuritico jam pene morituro, octava pariter die venam quoque pertudit lætabili cum successu, ceu ipse pluribus enarrat Lib. III. de Morbis Epidem. ubi diligenter legi & conferri meretur in Commentario Galenus & Interpres inter recentiores optimus, Franciscus Vallesius.

Succurrebat quoque tum ancipiti mihi perquam commode sequens Celsi egregius plane locus e Lib. II. c. 10. bona cum Lectoris, ut spes est, venia, infra adscribendus: *Si nullum tamen appareat aliud auxilium, periturusque sit qui laborat, nisi temeraria quoque via fuerit adjutus, in hoc statu boni Medici est ostendere, quam nulla spes sine sanguinis detractione sit; faterique, quantus in hac ipsa re metus sit: & tum demum, si exigatur, sanguinem mittere. De quo dubitare in ejusmodi re non oportet: Satius est enim anceps auxilium experiri, quam nullum.* Hactenus quidem eloquentissimus Medicorum Tullius.

Neque sane nos susceptæ operæ aut audaculi consilii exinde pœnituit. Mitescere enim tum post venæ sectionem visa sunt omnia; ibat respiratio longe liberius, nec amplius illa duxit ægrotus, quoties inspiraret.

Præscripsi tum pro usu interno mixturam consuetam,

tam, pro externo vero Linimentum paregoricum patientibus locis calide applicandum, cum successu. Pomeridie æger de utriusque scapulæ & claviculæ dolore intolerabili conqueri vehementius cœpit, unde bonas spes concepi merito.

Vesperi injectum est clysma ex aqua hordei, melle atque nitro paratum, unde bis dejecit alvus cum allevatione.

Sed adulta jam primum nocte, omnia in pejus ruebant, & æger cita suffocatione periturus videbatur, ideo rapta præcipiti occasione, summo mane, D. 29. atque sic die adeo nono ineunte, quod notatu sane dignissimum, tertium ipsi vena secta fuit in pede sinistro, unciæque sanguinis nigricantis emissæ sunt quemadmodum sex aut septem.

Igitur mitigatis exinde mirum in modum diris symptomatis, quies tum insequuta placida cum respiratione liberiore. Urina tamen adhuc perpallida, tenuis & cruda nihil cocti aut salutaris signi ostendebat.

Attamen tota illa die moriturus videbatur miserrimus Juvenis: jacebat quippe supinus omnibus quasi membris resolutus, cum oculis torvis, semiclausis, facie pallore lurido decolorata, pulsu tremulo, inæquali, formicante, respiratione difficillima, tussiendique facultate intercepta, nec non sudoribus colliquescentibus, tractuosis & cadaverosis in collo, pectore, coxis, fronte & alibi passim hærentibus.

Sed diem molestissimum excepit nox multo adhuc molestior, superveniente prioribus malis nondum plane pacatis, præter expectationem, feroci adeo delirio. Multa ergo aliena turpiaque loquutus æger subito e lecto prosiliebat, foresque petiturus abitum parare videbatur. Adstantium vero vi, minis atque precibus retropulsus, atque lecto compositus, tandem sibi clysma refrigeratorium injici ægre passus est: unde aliquot horis interjectis, auroram versus, lenis successit quies, & paullo sanior mens, levi tantum per intervalla recurrente delirio.

D. 30. vero cuabbat immobilis, membris quasi fractis, oculis lacrymosis & tristibus, pulsu exili, debi-

debili, tremulo, rejectis sæpius impudenter stragulis operimentisque corpori impositis, urina semper adhuc liquida, cruda, flammea, absque subsidentia; accedente insuper novo sinistri ominis symptomate, ut quoties spiritum duceret, toties quoque toto corpore intremisceret, horrendo prorsus aspectu.

Successit nihilominus nox præter spem lætior, somnus placidus, respiratio humanior faciliorque, dolore interim ad scapulas adhuc persistente perquam sensibili.

D. 31. Animus viresque sensim rediere; facies florida sanique fere coloris; pulsus sat validus, æqualis, rhythmi tenax: apyrexia, exscreatio cum levamine, multa cocta tussi rejecta, urina naturali proxima.

Nox tamen in somnis prorsus, sævisque doloribus per dorsum potissimum discurrentibus magnopere inquietata.

Laborabat jam in fine annus, non morbus, quippe qui longius protractus D. 1. Jan. Ann. CIƆIƆCCXXXIX. novos ægroto misero attulit languores atque angores, nobis vero novas sollicitudines.

Facies namque austere rubra, & prætumida, pulsus debilis, tremulus, inæqualis, calor corporis ad tactum urens, urina liquida, aliquanto flammea sine ulla hypostasi, sputatio intercepta cum inani tussiendi cupidine, recubitus ægroti in dextrum tantummodo latus, dolente vehementer altero, aliaque id genus scæva signa novas subinde excitari Tragœdias prænunciabant.

Pugnatum ergo strenue contra novas hasce dolosi hostis insidias consuetis nostris machinis, tam intrinsecus, quam exterius, præscriptumque insuper eclegma pectorale unguentumque anodynum, illud quidem ad excreatum difficilem promovendum, hoc vero ad acerrimos dorsi dolores mitigandos.

Inde eventu votis respondente, nox insequuta satis quieta & commoda, tussi tamen quandoque interrupta, sed salutari, sputis quippe coctis multis per eam sine molestia rejectis.

D. 2.

D. 2. Integrum diem duxit æger sine querimonia; dolores per dorsum interdum, sed tolerabiles, cibum modicum appetiit cum voluptate; urina pallida naturali proxima, pulsus concinne sibi constans; placidus per meridiem somnus, febrisque una consopita.

Die haud pejor nox subsequuta; somnus dulcis & commodus, excreatio copiosa sine molestia; urina citrina sanæ proxima, sudatio larga per totum corpus æqualis.

D. 3. Firma & constans salus rediit ægro, nobis superati periculi fiducia. Oculi tum ipsi vividi vegetique, facies sui coloris, appetitus bonus & naturalis, urina sana, alvus sua sponte mota, facultas denique sese elevandi & sedendi.

D. 4. Demum salutari crisi perfecte absoluta, nunc primum orthostadius factus, relicto inviso lecto, ambulare & ex uno cubiculo in alterum lento quamvis & testudineo gradu, prorepere quasi cœpit, sicque demum refocillato liberalius corpore emaciato, sensim sensimque cum sanitate in gratiam rediit plenissimam.

Habes sic, mi Lector, mirabilem rarissimi casus historiam in usum medentium & ægrotorum solatium, summa fide a me hic perscriptam. In qua illud adhuc in primis notari bene meretur, quod per omnem morbi atrocis decursum nunquam subsederunt urinæ, unde nunc facile patebit vera ratio artis peritis, cur justo longius protractus fuerit pertinax hic morbus, quidque crises salutares tam frequenter turbaverit & ambiguas difficilesque plane reddiderit.

Sciolo vero censori, si quis tamen futurus, qui nobis forte grandem ideo dicam scripserit, quod sanguinem octavo, quin & nono adeo die, necessitate urgentissima miserimus, illud saltim aureolum Corn. Celsi dictum e Lib. III. cap. 9. ridentes occinimus: *Sæpe quos ratio non restituit, temeritas adjuvat.*

ÆGRO-

ÆGROTUS VIII.

HAud mitiora fere fata habuit centurionis famulus, juvenis quadrato & toroso corpore, temperamenti sanguineo-cholerici, natus annos XXIII. statura inter longam depressamque media; qui sæviente adhuc acerrimo gelu, D. 8. Januar. subito pleuriticus factus, incumbente repente in dextrum potissimum thoracis latus dolore longe acerbissimo.

Mox igitur per chirurgum castrensem, ex solemni consuetudine militari, primo in consilium advocatum, sanguinis quidem facta fuit detractio; sed nec convenienti proprie loco, nec justa satis quantitate: e vena enim pedis dextri pertusa unciæ cruoris emissæ sunt sex tantummodo septemve, in corpore tamen, quod jure mireris, plethorico & succis pleno.

Cunctis ergo potius exacerbatis, quam mitigatis, accedente cum primis perversa & tonsoria medendi methodo, qua propinata sunt temere ægroto jam æstuanti Liquor Cornu Cervi succinatus, Essentia Pimpinellæ, Succini, spiritus salis Ammoniaci Anisatus, aliaque hoc genus calidissimæ naturæ remedia, nocteque hinc ad internecionem fere molestissima succedente, summo mane

D. 6. invitatus ego, ægroto inter summas respirandi difficultates constituto & de salute fere penitus desperaturo, e brachio dextro inciso sanguinis statim misi uncias plusquam duodecim, crusta alba, tenaci & transversum digitum crassa superficie obductas, licet stillatim potius, quam cursim per intervalla extrusas: quod contra illustrem Sydenhamum potissimum notandum.

Illico igitur melius sese habuit æger, redeunte mox liberiore spirandi facultate, pulsu æquali, & acuto lateribus dolore nonnihil obtusiore.

Quæ bona adaucta magis postea fuerunt immutata prorsus medendi methodo, calidæque & violentæ nimis substituta tutius nostra anticaustica, blanda & naturalia superius jam aliquoties commendata.

Ab injecto ergo circa vesperam consueto nobis clys-

mate, æger placide per noctem obdormivit, dolor lateris plurimum se remisit, respiratioque longe fuit expeditior, cum pulsu æquali & ad rhythmos naturales composito.

D. 10. Contra æstus magis incanduit, pulsus justo frequentius & inconstantius micuit, respiratio fuit afflictissima, urinaque micta est flammea liquida, inani stimulo guttatim saltim cum exquisito dolore sæpius reddita.

Deflexo ergo in Vesperam die, ingravescentibus adhuc magis hinc inde sævis istis symptomatis, meo jussu, vena iterum secta fuit in pede dextro, cruorisque, crusta quidem glutinosa, sed tenuiore multo, ac antea, & flava magis, quam albida obtecti, missæ sunt unciæ octo præter propter aut novem, exoptato cum successu statim subsequuto.

Paullo post immissa leni & subfrigida lotione alvus iterum ducta justo adstrictior ventosiorque nobis visa. Unde nox successit commoda, bene soporata, nullisque plane pavoribus aut inquietudinibus interturbata, ingenti cum levamine.

D. 11. Igitur meliusculus esse cœpit, lecto paulisper exsurrexit, modicumque cibi levis sumpsit in prandio cum appetitu fere naturali; spe tamen irrita.

Namque pomeridie pulsus justo frequentius increbuit, ardores febriles recaluerunt, cum anhelitu laborioso, tussiendique crebro quidem, sed inani, conatu.

Perreximus ergo strenue consuetis nostris remediis antipleuriticis, Mistura, ptisana hordeacea cum oxymelite & nitro, itemque Linimento anodyno, lateribus consolandis destinato.

Nox tamen inter acerrimos dolores & insustentabiles fere anxietates misere consumpta: eadem ipsa præcordia intumescere cumque sterno inæqualiter elevari visa, pessimo profecto omine; nisi meliores spes nobis mox injecissent dolores ad scapulas usque pertingentes sensimque increscentes.

Injectus ergo commodum clyster sperato successu non caruit, symptomatumque indomitam hactenus sævitiam in maximam partem pacavit.

D. 12.

D. 12. In melius res processura videbatur, ægroto promptius respirante, sat tranquillo; cibique quid cum appetentia manducante.

Sed inani saltim imaginatione delusis alia mox tristior rerum facies nobis sese pandebat circa meridiem. Tum enim omnia simul exacerbata vehementissime; pulsus durus, frequens, serratus, inæqualis; sputa multa spumosa cruore mista, urina flammea, cruda, rodens, facies rubicunda, tumida, cum oculis ardentibus, efferis & extantibus, arteriisque in collo atque temporibus sine intermissu pulsantibus. Accedebat triste & morosum in solo dorso cubandi desiderium, quia in neutrum sese latus inclinare poterat ægrotus, nisi summo cum labore, lamentabili ejulatu & præsentissimo suffocationis metu.

Successit tamen eo ipso die diarrœa levis, unde ter alvus modice fusa, salutari cum omine, quia dies agebatur quintus, h. e. criticus & decretorius, quo hoc spontaneum erumpebat ventris profluvium.

Nihilominus nox præter spem inquietior, respiratio difficilior, facultasque sputa egerendi constrictior; quibus accessit novum pejusque adhuc symptoma, dolor nempe lateris dextri nunc & subito in sinistrum mutuo contactu propagatus, intolerabili fere cum ægroti cruciatu.

D. 13. Eadem adhuc illætabilis rerum facies; urinæ tamen nunc primum turbatæ & sedimento lateritio prægraves, alvusque quinquies copiose soluta secundam commodamque instare crisin pollicebantur.

Nec falsum fuit augurium, nocte succedente perquam quieta, suavissimoque somno exsucca ægroti membra placide permulcente.

D. 14. Omnia adhuc longe meliora: Sputa, matura, cocta, flava, nullo amplius sanguine tincta, respiratio facilis & expedita, totum corpus blando tepidoque sudore æqualiter madidum, pulsus sibi constans, urina turbida, crassa, subsidentia lateritia deponens, lingua melior, flexilior, humidior, aliquantum tamen adhuc subviridis. Pransus quoque & cœnatus nonnihil æger cum voluptate.

Nox vero tanto calamitosior omnique orba somno præter spem successit.

D. 15. Acrius adhuc insurgebat tetra vis morbi, dolores laterales tum plus exasperati, respiratio fracta & suspiriosa, pulsus frequens, turbatus, inæqualis, vires prorsus dejectæ, urinæ mane emissæ turbidæ adhuc, crassæ & rubræ. Clysma meridie injectum pauca egessit liquida & spumosa absque allevamento. Spes hinc salutis dubia & exigua.

Nox tamen præter opinionem satis commoda, nec levis somni plane expers.

D. 16. Mane, mediocriter; urinæ eædem, quales supra, sudor tamen calidus per omne corpus æqualiter diffusus. Hinc diem sat commode egit æger, silentibus per longa intervalla laterum doloribus jamjam obtusioribus, pransusque nonnihil cum appetentia.

Nox iterum inquietior & gravior: recruduerunt enim dolores laterales vix consopiti, exscreatione cum summis spiritus angustiis intercepta.

D. 17. Paulo lætior rerum facies, urina adhuc turbida & rubra, sed nunc primum cum copioso sedimento albo & levi reddita: bis quoque sternutavit æger, bono perfecto indicio, sanitatem jam in propinquo esse.

Nox diei compar, tranquilla nempe suavique somno læta, quamvis turbato sæpius per tussiculam, multa tamen sputa pinguia & cocta facili negotio egerentem.

D. 18. Eadem adhuc omnia, urina vero tum primum clara, liquida & rubella sine omni hypostasi: Sudatio hoc die larga, tepida, roscida, toto corpore æqualiter defusa. Nox exinde placida & sine querimonia.

D. 19. Omnia in melius procedebant: Multus per diem & facilis screatus, sputa cocta, flava, pinguia copiose ore rejecta, urina optima cum crasso sedimento nonnihil albicante: nulli amplius dolores laterales, nullus æstus, tanto major vero cibi capiendi cupiditas, tanto impensius corporis reficiendi desiderium.

Nox

Nox hinc placidissima sequuta, somno alto & naturali ægrotum ad auroram usque suaviter obruente, tum enim primum expergefactus, copiosa sputa concocta facili excreatu rejecit.

D. 20. Demum orthostadius factus, perfecte judicatus est noster redivivus quasi mortuus, urina citrina & naturali simili prodeunte. Unde viribus indies læte succrescentibus, brevi post facilis ad bonam valetudinem factus fuit recursus.

Æ G R O T U S IX.

VEctor, ætatis XXXIII. annorum, temperamenti sanguineo-melancholici, habitu corporis macilento, statura & robore mediocri, antea jam pleuridem bis terve per vitam passus, D. 16. April. in idem atrox malum iterum ex improviso incidit, obortis una exquisito lateris dextri dolore, pungente, flagrantissimo æstu, anhelatione laboriosa & suspiriosa, sputis cruore mistis, pulsu duro celerique & urina liquida flammeaque &c. Prima mox sanguinis missio, me quidem absente & inconsulto, in pede perperam administrata, sperato successu caruit, adauctis potius per noctem prorsus insomnem diris malis, quam levatis, aut tenuatis.

D. 16. Igitur meo arbitratu, altera venæsectione e brachio dextro detractæ sunt unciæ quemadmodum decem, lætiore multum eventu. Melius enim statim habere cœpit æger, dolor acutus sese sensim remisit, respiratio successit liberior, alvusque sua sponte liquata fuit.

Sanguis vero vase collectus duri hepatis ad instar compactus, sero copioso subflavo innatabat, sed absque consueta illa pleuriticorum crusta, aut tunica subalbida lardo tenaci persimili, pessimo profecto omine, si credere quidem fas sit summo cetera Viro Baglivo, de quo supra.

D. 17. 18. 19. Morbo sat commode & ex ordine decurrente, æger large sudavit & extussiit facile & copiose; frequentius per hos dies in usum adhibita

Mistura nostra consueta antipleuritica cum oxymelle simplici parata. Noctes quoque egit faciles & jucundas.

D. 20. Sanguis affatim fluxit e nare dextra, saluberrimo, ut videbatur, omine; doluerunt quoque nonnihil scapulæ, in spem pariter latissimam. Sed insequuta mox respiratio adeo usque difficilis & laboriosa, ut de Vita Miseri timeremus; æstus quoque tum recanduit febrilis, & omnia subito in pejus relapsa videbantur, tussi inprimis invalescente ferocissima & tantum non spastici quid minitante.

Quam ad compescendam, sputationemque nonnihil adminiculandam, præscriptus tum fuit Linctus noster pectoralis supra jam aliquoties laudatus, singulari cum delinimento; fomenta quoque & unguenta adhibita lateribus laborantibus, fausto pariter cum successu.

In melius enim revoluta omnia pomeridie, liberius longe meante anima, sputis multis subcrassis, sanguine tamen non nihil adhuc tinctis, facile rejectis, alvoque aliquoties sua sponte cum levamine fusa; Urina tamen hoc die copiosa reddita, pallidior quidem fuit; haud tamen adhuc satis cocta, aut salutari sedimento fœta.

Læta die haud tristior nox suavem facilemque somnum attulit, acrioribus licet tussis stimulis subinde interpellatum.

Denique per D. 21. 22. 23. 24. 25. Certiora adpropinquantis salutis comparuerunt indicia, redeunte post longa fastidia cibi cupiditate, libera surgendi & ambulandi facultate, somno pleno & alto, urina demum citrina & sanæ proxima.

Tussis quoque hactenus domari nescia, conquievit tandem ad calidam sorbitionem infusi nostri ex plantis pectoralibus & anodynis superius descripti, frequentius per diem cum melle puro haustam.

Sicque recollectis sensim viribus, perfectæ demum sanitati redditus fuit afflictissimus hactenus Ægrotus.

Huic per omnem morbi decursum alvus semper respondit: urinæ tamen; quod notandum; subsederunt nunquam. Missus vero sanguis consuetam illam pleuriti-

riticorum tunicam albidam exhibuit nullam, & tamen, quod mirum, servatus fuit per DEI gratiam pleuriticus.

Æ G R O T U S X.

MUsicus, fidibus juxta & tibiis scite canere edoctus, XXVIII. annorum, cholerico-sanguineus, corpore agili, statura exili, D. 15. Maji, quod mirum, subita pleuritide vehementer affligitur, cum æstu præternaturali, cephalalgia intolerabili, urgentissimis præcordiorum anxietatibus, acutoque & lancinante dolore in utrumque thoracis latus gravissime incumbente; urina insuper crassa, e fusco rubra, subpingui, parce emissa.

Successit mox tussis ferina quasi cum sputis vitelli ovorum ad instar flavis, spissis & tenacibus, tanta quidem copia continuo projectis, ut fœda colluvie circa lectum natarent omnia, nosque hinc timeremus merito.

Sic jacuit miser, nocte molestissime transacta, ita ut morti vicinus videretur.

D. 16. Expectavit adhuc nimium sui securus, temere quippe persuasus, per pectoralia remedia interim adhibita, malum quasi in herba suffocari posse; ast incassum plane.

D. 17. Rogatus denique accessi, statimque in pede venam secari imperavi, quia nempe nihil sanguinei sputi excreabatur, dolorque in utroque latere fixus hærebat. Sanguis ad uncias fere duodecim missus summe inflammatus apparuit, cum spissa crusta albida consueta. Paullo post mansuescere omnia visa: rediit tamen circa vesperam æstus, cephalalgia atrocior, spirandi facultas angustior, cum acriore laterum dolore.

Quare præscripta potio consueta cum Oxymelite; injectum quoque clysma usitatum cum optabili eventu. Nox hinc satis quieta, tussi tamen aliquoties interturbata.

D. 18. Ingravescentibus malis, screatu cum summa pectoris oppressione nonnihil intercepto, propinatus

Linctus pectoralis ad mentem Sidenhami paratus, in usum simul vocatis pulveribus temperantibus cum floribus sulphuris, & Linimento anodyno lateribus affectis crebro affricando.

Nox post hæc paullo quidem melior; sed insanus capitis dolor subito per mediam noctem invalescens suavissimum excussit somnum, vigiliasque induxit molestissimas.

D. 19. Die scil. quinto & critico primario, mane, sanguis læta scaturigine bis large fluxit e naribus, levato mox tenuatoque pestifero capitis dolore.

Successit confestim sensibilis scapularum dolor; unde salutare præsagium factum. Alvus quoque eodem die sua sponte copiose aliquoties soluta est.

Suavis porro somnus arcte complexus misellum viribus defectum; Rebellis quoque hactenus tussis jam mitior facta, & excreatio rarior. Hinc perreximus iisdem adhuc remediis, addito saltim per vices infuso nostro Theiformi ex herbis pectoralibus composito, cum melle subcalide hauriendo.

D. 20. Nocte placidissime transacta, de lecto & leto quasi assurrexit noster, & Orthostadius factus, ambulare nonnihil & legere jucundas fabulas cœpit, cibosque simul hactenus mirum quantum fastiditos appetiit avide & cum voluptate.

D. 21. Nocte igitur alte dormiendo largiterque per totum corpus sudando, commodissime transmissa; perfecte demum judicatus est, prodeuntibus sub auroram urinis copiosis, liquidis & sanis proximis.

Restitit tamen sola adhuc tussis justo contumacior & mane inprimis acribus admodum stimulis molesta. Hinc suasi, ut subrefectis refotisque subinde viribus, sequenti Mense Junio, per 14. dies, aquæ minerales Selteranæ cum lacte caprino permistæ observato stricte debito simul regimine, combiberentur. Quo facto tussis ista cedere hactenus nescia sensim plane siluit, ægerque exinde plene convaluit.

Hic mox ab initio sputa purulenta copiosissime rejecit, quod alias letale, si quid credendum Medicorum Libris.

Huic

Huic per totum morbi decurſum urinæ nec ſubſidebant, nec conturbabantur; ſed ſemper limpidæ, liquidæ, & flammeæ permanebant; ſuccedente nihilominus ſalutari & perfecta criſi die ſeptimo.

Videtur denique huic & opportuna ſanguinis miſſio, & larga præſertim narium hæmorrhagia ſaluti fuiſſe.

Hæ vero ſunt X. illæ ſingulares pleuriticorum Hiſtoriæ ex quam plurimis aliis ſtudioſe a me ſelectæ ideo, ut ſubdolum & varium pleuritidis ingenium luculentius exinde pateſceret, & philiatri hinc addiſcerent ſedulo, quid in hoc formidoloſo & inſidioſo morbo compeſcendo fugiendum & faciendum, imitandum, aut omittendum. Multa quidem præterea exempla ſimilia hic potuiſſent proferri: ſed jure veritus ſum, ne, ſi in enarrandis hiſtoriis diutius moratus fuiſſem, aut oblitus fuiſſe propoſiti viderer, aut crimen loquacitatis incurrerem, quare hæc jam ſufficiant animo ſagaci & veritatis cupido.

Finio lætus, DEO ſummo atque unico artis ſalutaris repertori vitæque largitori ſupplicans humillime velit jubeat clementiſſime, ut hæc qualiacunque a me candide perſcripta pertineant potiſſimum ad Sanctiſſimi ſui Nominis gloriam, Medicorum utilitatem, & certiſſimam denique multorum Ægrotorum ſalutem.

Ita fiet, ſpero, ut nec me pœniteat ſcripſiſſe, nec Lectores emiſſe & legiſſe. Nihil enim nimium chare emitur, quod generi humano aliqua prodeſſe poſſit.

ADDI-

ADDITAMENTUM
AD HISTORIAM
ÆGROTI SEPTIMI

Superius propositam pag. 60.

IDem Miles ostensionalis (ut cum Lampridio ita loqui liceat,) D. 1. Mart. Anni hujus CIↃ IↃCCXL. ob diuturnam nimis rigidæ hiemis immodestiam, in fastis aliquando merito memorandi, asperrimo frigore niviumque largarum perpetuo casu per noctem verberatus, eodem sinistro latere pleuritide quasi anniversaria & periodica subito opprimitur, insurgentibus mox una febre acuta cum intolerandis lateris doloribus, tussi pertinaci, sputisque cruentis.

D. 2. Statim ipsi priore periculo jam cautiori facto, vena sinistri brachii secta fuit, sanguinisque per lenta effugia sensim elapsi detractæ sunt unciæ propemodum quindecim, usque dum in levem animi defectionem incideret ægrotus.

Sanguis vero emissus ubi refrixit, coiit quidem in crassum quasi hepar; consuetæ tamen tunicæ albicantis ostendebat nihil in superficie, quia recens nempe adhuc erat malum, humaniorque paullo leniorque inflammatio.

Quo facto, mox rediit liberior anima, deferbuit æstus & meliusculus esse cœpit ægrotus.

Propinata tum sunt Mistura nostra antipleuritica, item ptisana hordeacea cum melle, pro usu interno; pro externo vero unguentum mitigatorium & anodynum. Successit tamen nox præter spem, parum quieta, brevissimoque & quasi intervallato somno per quam incommoda.

D. 3. Spiritus angustior, & per diuturniores animæ obluctantis moras adhuc longe molestior: frequen-

quentior tussiendi cupiditas, sputaque sanguineis striis coloratiora.

Perrectum itaque sedulo iisdem remediis modo laudatis, tam intrinsecus, quam exterius.

Sub Vesperam quoque, quum dolores exasperarentur, injectum est clysma nobis usitatum, ex ptisana hordei, melle & nitro; unde alvus bis largiter fusa ægroto insigne attulit levamen, noctemque reddidit longe tranquilliorem.

D. 4. Inde omnia mitiora, dolore nimirum in latere sinistro antea fixo, nunc vago, & per dorsum scapulasque salutariter distributo. Hinc factum lætum præsagium de Capitali periculo feliciter jam devitato.

In primis quum & urina limpida hactenus flammeaque, lateritia nunc & cum crasso & albicante sedimento redderetur, spiritusque ipsi ægro simul ex natura fere flueret, ita ut vix ullam ejus hæsitationem aut moram persentisceret.

Nox hinc lætior, nec suavis somni plane exsors, licet tussicula frequentiore nonnihil interpellata.

D. 5. Eadem adhuc omnia; nisi quod asperior & pertinacior tussis invalesceret; quæ tamen mox consenuit propinato affatim consueto nostro Eclegmate pectorali; quo ipso & sputa pinguia, rotunda, flava & decoctiora prodire cœperunt, maximo ægroti cum allevamento.

D. 6. Eadem læta rerum facies firmiorque propinquæ jam salutis spes; urina hac die citrina, tenui sanæque proxima.

D. 7. Hinc largissima sudatione æqualiter facta, sputis coctis & copiosis citra molestiam rejectis, urinisque sanis ubertim exoneratis, perfecte denique judicatus est Miles hic egregius bis pleuritidem passus, bis eadem liberatus felicissime.

Huic semel tantum vena soluta est; sed mox ab initio, maloque ex minimo in maximos auctus nondum diffuso, nec viribus ejus temporis tractu explicatis.

Unde nunc patet satis perspicue, quantum in opportunitate temporis rite capienda semper situm sit mo-

momentum, & quam sollicite in morbis præsertim acutis, illud poetæ, Venienti occurrite morbo &c. nunquam non sit observandum. Verum de his hactenus.

Sed illud adhuc, Lectorum pace, adjicere his liceat, quod hic ipse annus inusitata cœli intemperie horridus tetricusque ferax admodum fuerit pleuriticorum morborum. Non solum enim hic ipse miles pleuritide tentatus iterum fuit, cujus historiam modo circumscriptius paullo enarravi; sed & plures utriusque sexus homines per oppida vicosque & pagos sævissimo hoc morbo laterali implicitos subito fuisse, compertum nobis ac exploratum.

Neque adhuc dirum malum penitus sese remisit, quin potius aucto mox post glaciem tepore liquefactam, relaxataque subito concreta aquarum duramina, denuo algore, majores indies acquisivit vires, eundoque latius increvit: unde multi per menses Februarium & Martium abierunt ad plures, quibus sævam & subdolam morbi atrocis indolem nescientibus opportuna sanguinis detractio ab initio aut nulla facta fuit, aut justo parcior & constrictior, nec congruo satis loco, ut decebat quidem, administrata.

Complures tamen ex his facile ad sanitatem reducti fuerunt, quorum nempe sanguinis intempestive timideque nimis medicos misertum non est.

Quanto acriora enim minacis mali fuerunt initia, tanto mitiores mox successere progressus, tantoque citiores lætioresque tandem brevi tempore fuerunt exitus.

Sed nolo nunc in novam Disputationem descendere, aut superius jam hac de re paullo explicitius mihi dicta inopportuna loquacitate hic fastidiose repetere.

Ratus potius, quædam ex his commodiori occasioni & spicilegio aliquando instituendo merito esse reservanda.

Non enim omnia simul semelque sunt promenda, sed premenda potius aliqua in futuros usus; quum multum omnino dixisse præstet, quam multa, & il-

lud Homericum probe ſit ſemper obſervandum, παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως

Sit modus ſemper in rebus, ſed & in dictis. Ille vero ſervat modum, qui nec infra rem dicit, nec ſupra, nec juſto adſtrictius, nec rurſus effuſius, nec immodice & redundanter, nec jejune nimis & infirme, ut in Epiſtolis alicubi pulchre monet Plinius junior, qualia & apud Ciceronem, Senecam, Quinctilianum & alios crebro in hanc ſententiam occurrunt.

Hinc finio jam ſuavidicis Æſopiarum fabellarum ſcriptoris verſibus.

Superſunt mihi quæ ſcribam; ſed parco ſciens:
Primum, eſſe ne Tibi videar moleſtior,
Diſtringit quem multarum rerum varietas:
Dein, ſiquis eadem forte conari velit,
Habere ut poſſit aliquid operis reſidui;
Quamvis materiæ tanta abundet copia,
Labori faber ut deſit, non fabro labor.
Brevitatis noſtræ præmium ut reddas, peto.

Finis commentationis de pleuritide.

SELECTA QUÆDAM CAPITA De PLEURITIDE e Tribus Præstantissimis Prisci Ævi Medicis Latinis CORNELIO CELSO, CÆLIO AURELIANO & THEOD. PRISCIANO excerpta, & notis nonnullis subitariis illustrata a DAN. VVILHELMO TRILLERO.

LECTURO S.

EN tibi novus Prologus post finitum vix Epilogum! Nec indignaberis spero, amice Lector; quod novum tibi facesse negotium. E re enim tua vel maxime judicavi; si selectiora hæc de pleuritide excerpta ex tribus præstantissimis Medicis priscis latinis petita notisque nostris illustrata nostro opusculo appendicis loco adjicerentur, eorumque purpuræ laticlaviæ nostris pannis subtexerentur.

Nemo enim, si ab Hippocrate quidem atque Aretæo discesseris, mali nascentis incunabula, adolescentis rapidam pernicitatem, & senescentis denique promptum facilemque discessum, his auctoribus, aut descripsit accuratius; aut genuina, secura & apposita ad truculentam ejus atrocitatem feliciter refrenandam remedia indicavit fidelius.

Quum igitur in ipso meo Libello ad hos classicos testes sæpius provocassem; opportunum utique videbatur; si ipsa eorundem verba adytis quasi digna hic subjicerentur; quo ipso rectius forsan a nobis dicta tantis præsidiis magis confirmarentur.

Licet enim in his rebus rationibus & experientiæ magis pugnandum sit, quam auctoritatibus: nescio tamen qui fiat, vitio certe humanæ gentis, ut sententia magnis auctorum nominibus præmunita altius descendat

in

in legentium animos, assensumque mereatur promptius, quam veritas nuda & ejusmodi præsidiis aut lenociniis viduata. Dandum igitur hic aliquid tempori, mori, & imperiosæ omnium dominatrici consuetudini.

Sed & hoc ipso exemplo artis salutaris tirones excitare atque inflammare volui, ut vetera exemplaria medica græca & latina nocturna diurnaque manu versarent, hasque fidas in Medicina pharos magis sectarentur, quam recentiores ignes fatuos, qui in fumos & ventos abeunt, corvosque deludunt hiantes, quum dediscenda plerumque doceant & perdenda tradant. Pauci enim hodie reperiuntur Medicorum, pudet fateri, qui hos veteres Auctores obiter visos legunt; pauciores, qui lectos intelligunt; paucissimi vero omnium, qui intellectos imitari student, eorumque certam solidamque medendi rationem, solius naturæ continuo tenore unam prementis viam, vestigia legentem in suos usus ægrique emolumenta convertere connituntur. Unde tamen, uti fontibus haurientes aquam, & ad propria proposita traducentes, fœcundiores & expeditiores haberent ad meditandum & medendum facultates, talibusque confidentes auctoribus, institutiones novas comparare possent, ut cum gravissimo Auctore loquar.

Habet nempe hæc res nec panem nec penum; plusque sui cultoribus nitoris, quam nidoris adferre creditur, ut quidem Medici ejusmodi in trivio natio & in pergula umbratica educati una cum aliis id genus baronibus insulsissimis, bacelis inficetissimis & homullis ignarissimis & inepto tamen fastu ridicule tumidis turgidisque, pro sæpore suo longe corruptissimo, vocali impudentia vociferantur, quorum vero rugitus & mugitus absit, ut curemus, aut viam rectiorem semel visam & calcatam, eorum in gratiam, turpiter deseramus. Omnia enim munere fortunæ cum dantur, inquit Vitruvius, ab ea facillime adimuntur; Disciplinæ vero conjunctæ cum animis, nullo tempore deficiunt, sed permanent stabiliter ad summum exitum vitæ. Namque ea vera præsidia sunt vitæ, quibus neque fortunæ tempestas iniqua, neque publicarum rerum mutatio, neque belli vastatio potest nocere.

Fa-

Famæ enim studere præstat, quam fami, nec rumor bonus parvi faciendus, ut rumen impleatur, ut lepide jocabatur olim Pomponius Atellanicus scriptor. Male ergo sit illis, qui pecuniosas artes malunt, quam ingeniosas, & crumenas plus diligunt, quam Camenas, si verbis ita ludere & absinthiata pocula melle quasi sic condire liceat. Sed de his hactenus.

Notæ nostræ his Triumviris subjectæ mediocres admodum sunt & necessariæ magis, quam longius petitæ, aut ambitioso variæ reconditæ eruditionis apparatu instructæ. Licet ad detergenda Lectorum fastidia, nonnulla ex penu philologico, forsan haud inutilia, passim fuerint interspersa.

Nisi enim tum Caussarii non nihil fuissemus, quum isthæc conscribere ordiremur, ita ut Bibliothecæ nostræ forulos excutere licuisset; tum forsan meliora, comptiora & decoctiora dedissemus.

Jam vero duro necessitatis imperio victi, damus quæ possumus, non quæ volumus, crudaque potius studia in forum propellimus, quam matura & limatius elaborata, proferentes sic inviti & dolentes pro solidis levia, pro reconditis obvia, & pro diu multumque præmeditatis tumultuaria, incognita & subito inter scribendum nata.


Eadem hæc incommoda valetudo obstitit sola, quo minus græca quoque de pleuritide excerpta ex Hippocrate, Aretæo, Aetio, Ægineta, Alexandro Tralliano & Galeno, pari modo a nobis interpretata & observationibus nostris illustrata, ut animo quidem destinaveramus, adjungere his potuerimus.

Solutiorem enim animum oculosque acutiores, quam quibus jam utimur, hic arduus labor utique requirebat, quare hæc cura in aliud commodius tempus a nobis merito rejicienda fuit.

Tu interea æque & candide Lector, præsentibus his & paratis opibus qualibuscumque utere fruere pro lubitu, nostrisque conatibus, si nonnihil merebimur, Fave!

Da veniam scriptis, quorum non gloria nobis
Caussa, sed utilitas officiumque fuit.

AU-



AUREL. CORNELIUS CELSUS.

LIB. IV. CAP. VI.

STomachus (*a*) lateribus cingitur ; atque in his quoque vehementes dolores esse consuerunt.

Eorum initium vel ex frigore , vel ex nimio cursu, vel ex morbo est.

F Sed

(*a*) *Stomachus*, ne quis imperitus decipiatur, consueto veterum stilo, hic est fistula cibalis, sive iter illud, per quod cibus potusque in ventriculum recta descendunt, sive accuratius loquendo, *ςόμα τῆς κοιλίας* orificium ventriculi, explicantibus sic scite Galeno, Aristotile, Platone, Hesychio, Suida & aliis, res enim nota. Ipse noster supra hoc ipso Libro IV. Cap. I. *Stomachus interior ad ventriculum fertur, hic cibum recipit*, & paucis interjectis, *stomachus intestinorum principium est, ac circa præcordia cum Ventriculo committitur.* Omitto alia. Factum postea est, ut *καταχρηστικῶς* sive *τροπικῶς* pars pro toto sumeretur, stomachusque idem esset, ac proprie ventriculus. Inde *stomachus languens*, apud Ciceronem, *stomachus marcescens*, apud Suetonium, *stomachus solutior*; item *pugnans*, & *nausea gravis*, apud Petronium; *stomachus ruens, latrans, lassus*, apud Horatium, aliaque id genus plura apud utrumque Plinium Auctoresque alios passim occurrunt. Sed si quis plura forsan hac de re cognoscere aveat, is adeat Fœsii œconomiam Hippocraticam, vocibus *ὠισοφάγος* & *ςόμαχος* Gorræi Definitiones Medicas, Henr. Stephani Dictionarium medicum Hieron. Mercurial. Var. Lect. Lib. I. Cap. 1. aliosque plures Auctores nobis olim laudatos in

Sed interdum id malum intra (*b*) dolorem est: isque modo tarde, modo celeriter, solvitur.

Interdum ad perniciem quoque procedit; oriturque acutus morbus, qui πλευριτικός a Græcis nominatur.

Huic dolori lateris febris & tussis accedit: & per hanc excreatur, si tolerabilis morbus est, pituita; si gravis, sanguis.

Interdum etiam sicca tussis est, quæ nihil emolitur, idque vitio primo gravius, secundo tolerabilius est. (*c*)

Remedium vero est magni & recentis doloris, sanguis missus.

At, sive levior, sive vetustior casus est, vel supervacuum, vel serum id auxilium est: (*d*)

Con-

---

in specimine Hippocrat. pag. 25. sed hæc obiter, καὶ ὡς ἐν παρόδῳ.

(*b*) Hoc est ultra dolorem lancinantem, nihil atrocius minatur, nec in grangrænam, aut empyema, multo minus, mortem tendit. Intelligere autem Auctor hic videtur pleuritin catarrhalem, pituitosam, & senilem, vel etiam gulosam, aut ex nimia edacitate obortam, quæ febre incomitata atque hinc innoxia procedere solet, ut supra obiter monuimus, post Lommium. Elegans vero locutio est Veteribus admodum familiaris. Sic *intra verba se continuit*, & *intra iram tumultus constitit*, dixit Petronius, Cap. XI. & LXIV. *Tanta vis unum intra damnum stetisset*, & *præturam intra stetit*, Tacitus Lib. III. Annal. 72. & 75. Omitto plura ex Plinio, Cicerone, Livio, Suetonio & aliis, in Lexicis obvia, quæ inde peti possunt, nos enim his jam non immoramur.

(*c*) Fallitur hic, sit venia dicto, optimus noster Celsus. Hæc enim sicca & arida pleuritis, quæ nec pituitam, nec sanguinem tussi emolitur, atque hinc Galeno & Alexandro Tralliano ἀπέπτωτη, appellatur, omnium est atrocissima, periculosissima, & tantum non internecina. Vid. supra nostros Aphorismos patholog. semiot VIII. IX.

(*d*) Supervacuum scilicet est, quando pleuritis sola fuerit

Confugiendumque ad cucurbitulas est, ante summa cute incisa.

Recte etiam sinapi ex aceto super pectus imponitur, donec ulcera pustulasque excitet; & tum medicamentum, quod humorem illuc citet.

Praeter haec, circumdare primum oportet latus hapso (*e*) lanae sulphuratae:

Deinde, cum paullulum inflammatio se remisit, siccis & calidis fomentis uti. Ab his transitus ad malagmata est.

Si vetustior dolor remanet, novissime resina imposita discutitur.

Utendum cibis potionibusque calidis: vitandum frigus.

Inter haec tamen non alienum est extremas partes oleo & & sulphure perfricare.

Si levata tussis est, leni lectione (*f*) uti: jamque & acres cibos, & vinum meracius assumere: quae ita a medicis praecipiuntur.

---

rit catarrhalis, serosa & senilis, aut flatuosa & ingluviosa, tum enim, quia nec ab inflammatione sanguinis, nec a febre acuta ortum trahit, sanguinis missione opus non habet. Serum vero est, quando pectoris cavum impuro pure ex ruptis vomicis, oppletum fuerit; tum enim Venae sectionem nihil quidquam juvare; sed citius potius jugulare miseros mortales, supra monuimus. Nisi vero hoc factum esse sciamus; sera nimis nunquam venae sectio; tentarique adhuc commode potest die octavo, immo & nono, quod nos post Hippocratem, cum successu experti sumus, ut constat ex Historia septima superius commemorata.

(*e*) Vox Celso nostro propria, nec facile alibi obvia, a graeco est ἅπτομαι, inde ἅψος, significatque manipulum, seu quantum manu capi potest. Apud Hesychium est ἀψῖσι λίνε, sed id aliud significare videtur, ut ex interpretatione patet.

(*f*) Ipsa erudita Librorum Lectio olim ad Medicinam Gymnasticam referebatur. Inde illis, qui solutioris essent stomachi, aut infirmioris pectoris, item Rheumaticis & distillationibus vexatis modica Lectio a Medicis imperabatur.

Attamen sine his rusticos nostros epota ex aqua Trixago (*g*) satis adjuvare dicitur.

Hæc in omni lateris dolore communia sunt: plus negotii est, si acutus quoque morbus is factus est.

In hoc, præter ea, quæ supra posita sunt, hæc animadvertenda sunt: ut cibus sit quam maxime tenuis & lenis, præcipueque sorbitio, eaque ex ptisana potissimum, aut jus, in quo porrus cum pullo gallinaceo coctus sit: idque non nisi tertio die detur: si tamen per vires licebit:

Po-

Ipse Noster supra Lib. I. cap. 8. *si quis stomacho laborat, legere clare debet; post Lectionem ambulare*. Vid. & Plin. Ep. 36. Lib. IX. Seneca de se ipso distillationibus & catarrhis infestato Epist. LXXVIII. *Medicus tibi monstrabit, ut legas clarius, & spiritum, cujus iter & receptaculum laborat, exerceas*. Inprimis vid. Aetius, Lib. III. cap. 5. pag. 48. *περὶ ἀναφωνήσεως* Sed plura de Medicina *ἀναγνωστικῇ* sive ex Lectione petenda, tradit præstantissimus Hieron. Mercurialis in reconditæ eruditionis Libro, de Arte Gymnastica, Lib. VI. cap. 6. Cui adde Fullerum de Medicina Gymnastica, qui etiam quædam hac de re adnotavit, nisi fallor, nam Liber jam non ad manum.

(*g*) *Trixago* nomine græco notiore, est *Chamædrys*; de qua salutifera planta præter Rei herbariæ scriptores, videndus inprimis est Jo: Bod. a Stapel in vasto Commentario ad Theophrasti Eresii Histor. Plantar. Lib. X. cap. 10. p. 1060. seqq. Illam vero contra pectoris morbos acutosque laterum dolores egregium præstare usum, post nostrum Celsum, luculenter his testatur Plinius, Lib. XXIV. cap. 15. *Chamædrys herba est, quæ latine Trixago dicitur. Efficacissima stomacho, tussi vetustæ, pituitæ in gula cohærescenti, ruptis, convulsis, lateris doloribus*. Ubi in Notis videri debet Harduinus, p. 347. In Hypobolimæis Dioscorideis. p. 457. legitur: *χαμαίδρυς*, Ῥωμαῖοι Τειψαγο μίνορ; perperam omnino, ut fere illic omnia, scribendum enim potius, *Τειξάγο* aut *Τεισσάγο* *Trixago* scilicet aut *Trissago*, vocatur illa planta; non *Tripsago*, quantum sciam.

Potui vero aqua mulsa, in quo hyssopum, aut ruta decocta sit.

Quæ quibus temporibus danda sint, ex ratione vel adauctæ, vel levatæ febris, apparebit; sic ut in remissione quam maxima (*h*) dentur:

Cum eo tamen, ut sciamus, non esse ejus generis tussi aridas fauces committendas.

Sæpe enim, ubi nihil est, quod excreetur, continuatur, & strangulat.

Ob quam caussam dixi etiam pejus id genus esse tussis, quod nihil, quam quod pituitam, moveret.

Sed hic vinum sorbere, ut supra præcepimus, morbus ipse non patitur: in vicem ejus, cremor ptisanæ sumendus est.

Ut his autem in ipso morbi fervore (*i*) sustinendus æger est; sic, ubi paullum is se remisit, alimenta pleniora, & vini quoque aliquid dari potest; dum nihil detur, quod aut refrigeret corpus, aut fauces asperet.

Si in refectione vero manserit tussis, intermittere oportebit uno die, posteroque cum cibo, vini paullo plus assumere.

At, invalescente quoque tussi, tum non erit alienum, ut supra quoque positum est, vini Cyathos sorbere.

Sed in hoc genere valetudinis, dulce, vel certe lene, commodius est. (*l*)

(*h*) Forsan melius legendum fuerit, *quam maxime*, quod modo adfuit, græce, *ὡς μάμιστα* licet & illud ferri possit.

(*i*) Id est in incremento & summo æstu, Græci dicunt, *ἐν ἀκμῇ ἢ ἐν παροξυσμῷ*, aut *παροξυνομένου τοῦ πάθους* quod sæpius apud Hippocratem, ceterosque Medicos græcos occurrit. vid. Fœsii Oeconomia Hippocr. & Dieterici Iatreum Hippocrat. p. 938. seqq.

(*l*) *οἶνος γλυκὺς καὶ μαλθακὸς Vinum dulce* & quasi *molle* vocatur Hippocrati. Vid. Fœs. Oeconom. Hipp. p. 239.

Si malum inveteravit, athletico victu corpus firmandum est.

CÆ-

(*m*) *Victus Athleticus* est victus lautus, dapsilis & opiparus, unde *ἀθλητικὸς βίος*, item *ἀθλητικὴ ἕξις*, *αὔξησις*, *εὐεξία*, *πανδαισία*, *κρεοφαγία* & *γαστριμαργία*, Athleticus victus, habitus robustus & succosus, item Athletica voracitas, ingluvies & *sagina gladiatoria*, apud Tacitum, in proverbium adeo ipsum abierunt, ut ex Athenæo, Suida, Theophrasto, Plinio, Galeno & aliis satis notum est. Constabat autem hic lautus Athletarum victus ex variis carnibus præpinguibus, præsertim suillis, & bubulis, nec non coliphiis, item diversi generis placentis, operibus dulciariis ex melle, sesamo caseo atque papavere, aliisque id genus epidorpismatibus, tragematis & cupediis ex cucumere, pepone, lacte, polenta recenti, aliisque hujusmodi fastidiosæ gulæ blandimentis, aut exsurdati palati irritamentis; quæ omnia conjunctim recenset Hippocrates Noster, Lib. V. Epidem. §. XXVII. p. 788. ubi de Biantis pugilis voracissimi morbo ex nimia ingluvie oborto circumscripte tractat: quem singularem locum egregie pro more illustrat Vir maximus Ezech. Spanhemius, in Commentario ad Juliani Imperatoris Orat. I. pag. 105. ubi de victu athletico erudite agit; quod & pari solertia & eruditione fecit in altero divino Commentario ad Callimach. Hymn. in Dian. pag. 242. 243. præsertim vero legi hic merentur, qui ex instituto de rebus Athleticis commentati sunt, Hieronymus nempe Mercurialis, Lib. I. de Arte Gymnast. cap. 15. Guil. Budæus in Comment. ad l. 4. ff. de his, qui notantur infamia, Petr. Faber, Lib. III. Agonist. cap. 1. p. 437. Des Heraldus, ad Martial. Epig. 62. Lib. VII. Just. Lipsius Lib. I. Saturnal. cap. 14. p. 56. & Cl. Schulze in docta Dissertatione de Athletis Veterum, eorumque Diæta & Habitu; qui omnes abunde & diligenter de hoc Athletarum victu tractarunt. Tetigerunt quoque hanc rem ex parte Jac. Lydius, in Agonistico sacro, & Octav. Falconerius, in eximio Libro de Inscriptionibus Athleticis, item Rev. Elsnerus, in Observat. sacr. Tom. II. p. 102. & Rev. VVolfius in Curis sacris, ad 1. Cor. IX. p. 439. Mirari ergo summopere subit, qui Celsus hic in-

firmis

firmis adhuc & diuturno pleuritico malo infractis commendare potuerit victum athleticum, hoc est, lautum nimis, liberalem, licentiosum, pinguem & dyspeptum magis, quam eupeptum; unde forsan eorum firmari possit nonnihil sententia, qui Celsum de Medicina scripsisse potius, quam eandem fecisse asserunt, quod tamen nos haud profitemur. Commoda enim explicatione juvandus est Auctor, ita ut athleticus victus laxius potius hic latiusque, quam strictius sumtus, in genere quivis sit victus validus, & ad firmandas & resumendas vires accommodatus. Qua in sententia recte quoque fuit Budæus, loco supra laudato, & post eum Mercurialis, & Gorræus in Definit. Medicis pag. 9.



CÆLIUS AURELIANUS SICCENSIS AFER MEDICUS METHODICUS.

L I B. I I.

CELERUM vel ACUTARUM PASSIONUM,

C A P U T XIII.

De pleuritica Passione.

PLeuritis a parte corporis, quæ magis patitur, nomen sumpsit. Latus enim ipsa passione vexatur, quod Græci πλευρὰν vocaverunt.

Fit autem ex variis antecedentibus caussis, ut ceteræ passiones: magis tamen profunda perfrictione, aut violentia, aut usu venereo, plurimo nimis potu, indigestione continua, aut percussu vehementi, aut ponderis magna subvectione, vel cursu vehementi:

Sed neque secundum has differentias differens erit adhibenda curatio. Una est enim atque eadem passio, ex qualibet veniens caussa, quæ una atque eadem indigeat curatione. (*a*)

Hanc

(*a*) Haud satis accurate, me quidem judice. Pleuritis enim serosa & catarrhosa, item & pleuritis ingluviosa, ut sic loquar, vel quæ ex indigesta ciborum mole stomachique indignatione, ortum trahit, eodem modo tractari nec possunt nec debent; ac pleuritis vera, flammosa & febre peracuta insurgens. Hæc etiam sanguinis detractionem crebram & copiosam, methodumque medendi refrigeratoriam exposcit: sero contra remediis, blandis, diaphoreticis & exsiccantibus opus habet: Ingluviosa denique nec his, nec illis indiget; sed vel vomitione, ex temerario Rulandi & Hart-

Hanc definiens primo de adjutoriis Libro, (*b*) Aristoteles sic tradendam credidit. Pleuritis (inquit) est liquidæ materiæ (*c*) Coctio, sive densatio. Nec tamen disse-

---

Hartmanni consilio; vel inedia, fame & abstinentia, mitique alvi ductione aliquoties pro necessitate repetita, ex tutiore & sapientiore Aretæi præcepto, L. I. de Curat acut. Morb. Cap. 10. p. 89. expugnanda potius est: qua de re nos supra pluribus in ipso Tractatu, Cap. III. 8. & adhuc plenius infra ad Theodorum Priscianum

(*b*) Ille ipse est philosophorum antesignanus, Stagiris oriundus, qui hodie, quæ sæculi torpentis propudiosa est vecordia & immedicabile interiorum litterarum fastidium, præter meritum suum, omnemque rationem, illectus nimis neglectusque jacet: quum tamen nemo veterum philosophorum, nemo, inquam, aut ornatius eo ipso scripserit, aut ordinatius, scriptaque ad posteros transmiserit absolutiora & luculentiora. Haud pauciora autem fere adhuc superstitibus, magno humanitatis detrimento, perierunt, quæ inter etiam recensentur ab Diogene Laertio τὰ ἰατρικὰ Β. sive *Libri medicinales II.* ad quos hic digitum intendit noster Cælius, eosque consueta sua Lingua *adjutoria* vocat, uti mox Cap. 18. dixit, *adjutoriis medicinalibus*, aliaque ad hanc normam, de quibus vide Lexicon Cælianum Almelovenii. Eadem vox hoc sensu sæpissime quoque occurrit apud Theodorum Priscianum, qua græcum ἀμυντικὸν expressisse videtur, inde aliquoties apud ipsum adjutoria & amyntica, ceu synonyma conjunguntur. Quæ vox etiam ipsi nostro Cællioreddenda infra, Lib. II. Chron. Morb. cap. 6. ubi perperam legitur ἀμυκτικὰ *amyctica*, pro ἀμυντικά. Sed hæc obiter. De his vero Libris medicinalibus vel adjutoriis Aristotelicis accurate pro more solito egit immortalis vel post fata Fabricius, in immensæ frugis & infinitæ lectionis opere, Bibl. Græc. Lib. III. cap. 7. p. 191. & Tom. XIII. Lib. VI. cap. 9. p. 83.

(*c*) *Coactio*, hic malebat legere Almelovenius, non inepte, ita enim mox Noster Cap. 14. *in densitatem coacta*, item in *soliditatem coguntur*, quomodo & alibi sæpe: sed & legi commode posset *collectio*, qua voce hoc sensu sæpius Noster usus, ut infra Cap. 17. & alibi sæpius. Nihil tamen mihi immutandum videtur. Spissescere enim, atque incrassari solent quæ luculento foco diutius percoquuntur,

disseruit, utrumne totius, quod (*d*) falsissimum: si quidem phlebotomati ægrotantes liquidum sanguinem reddant; an vero particulæ; sed quum hoc tacuit, non (*e*) promisit.

Mitto etiam oculorum suffusionem nihil aliud esse, quam liquoris coeuntis densitatem; nec tamen pleuritim. (*f*)

Item

ut notum, unde Noster contorto suo & impedito scribendi genere Coctionem hic posuisse videtur pro densitate, spissamento & coagulatione.

(*d*) Immo potius verissimum. A primis enim accessionis diebus, omnis massa sanguinea adhuc est florida, rutila & liquida: elapsis vero his, omnis contra densata, nigra & crusta flammosa obducta; quod non in pleuritide solum; sed in omnibus morbis acutis & incendiosis, ut cum Nostro loquar, constanti Naturæ lege, observare licet, de quo Nos supra distinctius, Cap. II. §. XXII.

(*e*) Nonnihil obscurius hoc videtur dictum. Quare Vir doctus, Dalechampius sive fuerit, sive Ammanus, legendum putabat in margine: *necessarium prætermisit*; violentiore paulo Medicina. Inde scribendum mihi potius videtur, *non promsit*, hoc est, non tradidit, non explicuit, non exhibuit, quomodo sic Auctores verbis *promere* & *expromere*, elegantius uti consueverunt. Ita Plinius, in panegyrico, Cap. LXVI. *Jubes, quæ sentimus, promere in medium, proferemus*. Tacitus, Lib. VI. Ann. 28. *cognita, non absurda, promere libet*; ibid. III. 11. *sensus suos an promeret*, & alibi, *sententiam promsisset*, item, *ficta, seu vera promeret*; immo simpliciter ac nude ut hic, Lib. XV. 60. *solus quippe Natalis, & hactenus, promsit*, h. e. indicavit, protulit, ostendit: plura id genus apud eundem passim; hoc enim verbo imprimis crebro delectatur; Ut & Quinctilianus. Huc & Rutilius Numant. Itinerar. Lib. I. 287.

Ridiculam cladis pudet inter seria caussam
promere.

Perquam probabile ergo videtur legendum hic esse, *promsit*: inprimis, quum ipse Noster infra I. Chron. Morb. c. 5. dixerit, *ut principia levi voce promantur*, ut taceam alia. Nisi qui *promisit*, hic sumere malit pro præmisit, quemadmodum sumi solet Plautum Veterumque alios.

(*f*) Levis atque frivola isthæc est Auctoris argutatio.

Ari-

Item (*g*) Apollonius, qui appellatus est Mys, volumine vicesimo octavo, quod de secta Herophili conscripsit: pleuritis (inquit) est communiter Passio temporalis, (*h*) atque celeris, secundum laterum membranas, quas ὑπεζοκότας (*i*) vocant, atque inter earum Carnem: (*k*) aliquando etiam in pulmonis partibus sæpissime sine tumore vel ex solis caussis effecta. (*l*)

Proprie autem tumorem secundum supradictas membranas, vel carnem lateribus interjectam: aliquando etiam secundum pulmonis partem.

Sed in utraque deffinitione peccavit. Primo enim sunt prolixæ atque (*m*) narrabiles.

Secun-

Aristoteles enim morbum lateralem definiebat, non oculorum suffusionem. Plures quoque morbos ab una eademque caussa progerminare posse constat: sed distinguuntur ratione loci, temporis, symptomatum, eventuum & medendi viarum, &c. Interim non nego, plura in hac Aristotelis definitione jure desiderari posse; nimis enim generalis, obscura & impedita est, si tamen integra nec frustata ad nos provenerit.

(*g*) Strenui hujus sectæ Herophileæ propagatoris & propugnatoris, Apollonii *Myos*, *Muris*, sive *Musculi* cognominati, meminere præter Auctorem nostrum, Strabo, Lib. XIV. Georg. p. 742. Galenus, Lib. IV. de Different. pulss. & lib. II. Antid. Celsus, præfat. Lib. V. Plinius, aliique, quos laudat maximus Fabricius, heu quondam noster! in Bibl. Græc. Tom. XIII. Lib. VI. Cap. 9. pag. 75. Vid. & Dan. Clerici Hist. Med. Part. II. Lib. I. Cap. 8. pag. 37. add. Conting. in Introduct. in Art. Med. Neander, Geolike, & Cl. Stollius in Hist. Med. p. 26.

(*h*) Nempe hiemalis, autumnalis aut verna etiam rarissime æstiva, Vid. inprimis Aretæus.

(*i*) De his succingentibus thoracis latera membranis, vid. idem Aretæus, de Causs. & sign. acut. morb. Lib. I. c. 10. Pollux & alii quos laudat Henr. Stephanus in Dictionario Med. & Gorræus in Definit. Med. cum aliis pluribus, res enim ex anatomicis notissima.

(*k*) Masculos nempe intercostales seu mesopleurios.

(*l*) Externis scilicet, superius jam commemoratis.

(*m*) *Narrabile* alias apud Ovidium, aliosque haud publici

Secundo plurima alia prætermisit, nam necessario passioni febris adest. (*n*)

Correptum (*o*) autem atque usurpatum dicimus, in pulmone passionem hanc posse constitui; sicut ex consequentibus docebimus.

Item Asclepiades, Libro Definitionum, Pleuritim dicit esse humoris fluorem temporis parvi; atque celerem interiorum lateris partium, cum febre atque tumore.

Sed erat melius tumorem dicere, atque humoris fluorem.

Etenim quoties ex (*p*) complexa passione conficitur, tumorem perspicimus superare.

Est igitur, secundum Soranum, pleuritis dolor vehemens interiorum lateris partium, cum febribus acutis, & tussicula, qua variæ qualitatis liquor excluditur. (*q*)

Fre-

---

lici saporis Auctores idem est; ac quidquid enarrare & effari tuto licet: Hic vero apud nostrum Africanum, deteriore sensu, tantundem est, ac ambagiosum, ambitiosum & verbosum, *πολυλόγον*, *σπερμολόγον*, *πλεισσολόγον* ϗ *βαττολόγον*.

(*n*) Justa quidem hæc est censura; nam primaria febris acutæ mentio haud erat omittenda.

(*o*) Justo obscurius & impeditius hoc dictum. *Correptum* enim atque *usurpatum* hic idem esse videtur, ac *temere arreptum*, *improvidum*, *festinatum* nec *legitime assertum & probatum*, quantum quidem per pingues fæculentæ dictionis nebulas conjectare licet: Ita *corripere* Justino Lib. XV. Cap. I. idem esse, ac invadere, furtim auferre ac modo illicito usurpare, notat ibidem Freinshemius. Sed & alibi sic noster Cælius est loquutus.

(*p*) Hoc est, ex tumore & fluore juxta complicata & conjuncta, quomodo infra Cap. 33. *complexa ægritudine*, pari modo occurrit. Hoc elegantius Græcis *συζυγία καὶ συμφωνία*, item *ἀδελφιξις τȣ̃ πάθυς*, dicitur, unde *ἀδελφεία παθήματα*, aliquoties apud Hippocratem, quasi dixeris, *fraterna & uterina passiones*, venustissime; qua de re vid. Foes. in Oeconomia Hippocratis, pag. 3.

(*q*) In hac quidem Sorani Definitione nihil est, faten-

dum

Frequentat autem hæc passio in masculis magis, quam in feminis, atque in senibus magis quam juvenibus. (r)

Tussiculosa (s) enim atque frigida senilis est ætas, quo intelligimus profecto, hanc passionem pueros difficulter incurrere:

Frequentat etiam hiberno magis, quam autumni tem-

---

dum enim, quod jure desiderari possit, quare reliquis omnino præferenda videtur.

(r) Falsum hoc est, si de pleuritide vera & acuta intelligatur, qua quippe Juvenes ex rationibus supra a nobis datis, magis corripiuntur, quam senes; verum contra esse potest hoc placitum, si de pleuritide humida, serosa & catarrhosa accipiatur, qua senes frequentissime tentari, superius quoque monuimus. *Longis* enim *morbis senectus, acutis adolescentia magis patet*, ut vere Celsus, Lib. II. Cap. I. item accuratius, Cap. 2. *Adolescentia morbis acutis objecta est: fereque juvenes sunt, qui sanguinem exspuunt*, quæ sumta sunt ex Hippocr. Aph. 29. Sect. III. Mirum interim est & vix credibile, Aretæum in eadem prava opinione fuisse, quod senes magis obnoxii essent morbo laterali, quam quidem juvenes, ut tamen aperte docet Lib. I. de Morb. acut. Causs. Cap. 10. fin. p. 9. Aretæum inquam illum, quo nemo Hippocratem aut diligentius legerit, aut felicius expresserit, qui tamen contrarium potius docebat.

(s) Unde & *βὴξ γεροντικὴ* pro tussi contumaci & rebelli, apud Græcos in proverbium abiit. Sunt enim senes ob caloris naturalis defectum, solutiorem stomachum, transpirationis imminutionem, humorumque corruptionem, *βηχικοὶ, πνιγηροὶ καὶ ὑγροὶ* hincque *gravedine frigida, frequenti tussi quassantur*, ut Catullus loquitur. Inde recte ab Hippocrate Aphor. 31. Sect. III. ipsis tribuuntur *κατάῤῥοι βηχώδεες, καὶ κοιλίης, καὶ ὀφθαλμῶν καὶ ῥινῶν ὑγρότητες*, h. e. *gravedo, tussis & distillationes*, ut Celsus eleganter reddit, Lib. II. Cap. I. Juvenalis quoque Sat. X. senibus hinc *madidi infantiam nasi* adscribit, & Maximianus, Eleg. I. inter senectutis incommoda, hæc quoque refert:

Hinc miserum scabies, hinc tussis anhela fatigat,
Continuos gemitus ægra senectus habet. &c.

tempore quod (*t*) hiemi vicinatur: Æstate vero difficulter occurrit.

Est præterea passio acuta, atque celeris & vehemens, & aliquando sola ex strictura confecta: aliquando admixta solutione, ob plurimum tussiculæ liquorem.

Etenim ventris defluxio non implet in pleuriticis signorum concursum; sed magnitudinem (*u*) passionis docet. Quapropter ex his solum dicimus agnoscendam, quæ supra memoravimus.

Alia vero concurrunt plurima atque differentia, pro passionis magnitudine, ac temporum mutatione, quæ, quia prætermittenda non sunt, prosequamur.

CAPUT XIV.

Quæ consequuntur Pleuriticos.

PRosequitur in passione constitutos acuta febricula, cum tussicula dolor lateris vehemens, atque usque ad jugulum & (*a*) palam ejusdem partis perveniens; quibusdam etiam brachium tangens, & pectus, atque ilium.

Et

(*t*) Quasi scripserit, *quod tamen hiemi vicinatur*; alias enim sensus languet. Mirari nempe videtur auctor, quod autumno pleuritides haud frequentius sæviant; quum tamen ille hiemi vicinetur, sive confinis sit. Sed nec recte hoc asseritur, nam frigidiusculo, pluvio & nebuloso autumno pleuritides aliquando sæpius grassatas fuisse novimus, quam modesta quidem & remissa nimis hieme. Accedit, Hippocratem, Celsum, Aretæum aliosque Veterum autumno quoque pleuritidas adscripsisse.

(*u*) Ex Hipp. Aph. 16. Sect. VI. hoc petitum. Interim ventris profluvium ab initio morbi magis est metuendum; quam in progressu, ostendimus supra in nostris Aphorismis.

(*a*) Hoc est *scapulam*: Ipse Noster infra Lib. III. de Morb. Chron.

Et est stimulosus, & igneus, jugis, aut intercapedinarius, servato ordine, aut confuso, & infixus atque perseverans iisdem locis: aut mobilis, & recurrens atque mutabilis, cum suspirio, & difficili respiratione, quam Græci δυσπνοιαν vocant:

Attestante (*b*) tussicula, aliquibus arida, frequenter tamen cum liquidis excrementis, & primo spumosis, dehinc sanguinolentis; (*c*) ita fellosis, ac inde saniosis.

Sequitur etiam ægros supra id latus jacendi difficultas, atque cum se supra contrarium latus verterint, dolor, ut adduci sentiant suo pondere (*d*) evidentia tumentium partium viscera: sequentur etiam vigiliæ, atque siccitas, & asperitas linguæ.

Pe-

Chron. Cap. 2. p. 437. *inter scapulas sive palas* conjunxit, inde scapulæ & palæ unum idemque. Explicat vero sic scite Isidorus, Origin. Lib. XI. Cap. 1. p. 1097. *palæ sunt dorsi dextra lævaque eminentia membra, dictæ, quod in luctando eas premimus, quod Græci παλαίειν dicunt.* Quem locum peropportune laudat Almeloveenius in Lexico Cæliano, p. 689. Nihil vero, quod mirum, de hac peculiari hujus vocis significatione sciunt docentve nostra Lexica Latina.

(*b*) Id *præsente, perseverante, continuo urgente & stimulante:* qua ignota pariter, hoc certe sensu, Lexicis nostris voce mirum in modum & ad nauseam Lectorum usque, delectari plusquam centies assolet noster clarus ob obscuram Linguam Auctor. Sic infra, *attestante sudore, debilitate, dolore, febre acuta, vomitu, passione, urina tenui & attestantibus febriculis*, & infra Lib. II. Chron. Morb. Cap. 14. *attestante tussicula*, æquæ, ac hic, sed satis: plura notavit in Lexico Cæliano Almeloveenius; nec tamen omnia, nam infinita fere sunt. Nisi autem adeo crebro occurreret, legerem potius ubivis, *adstante*; sed reverentia ductus, nihil audeo. Sic βηχὸς, item ὀδύνης ἐπιστάσης, vel ἐφισαμένης memini me apud Hippocratem legere.

(*c*) *Ita* pro postea, novo significatu: forsan græcum εἶτα, exprimere voluit Noster in vertendis quidem græcis sæpe infelix & ridiculus, ut bene notavit & probavit in Variis Lect. Reinesius.

(*d*) Sane haud evidens satis hoc *evidentia*; quare forsan

Pejorante (e) passione, augentur omnia supra dicta. Accedit etiam articulorum frigidus torpor, genarum rubor, oculorum sanguineus color, ventris fluor spumosus ac felleus.

Urinæ quoque frequens, atque paullatim albida egestio; pulsus densior, celer, fortis, & veluti (f) fluctuans, & suo percussu pressuram significans.

Spiratio etiam (g) circumdolens atque frequens, & obtusa, vultus & thoracis roscida humectatio: mentis alienatio, gutturis stridor, vel sonitus interius resonans, aut sibilans, in ea parte, quæ patitur.

Acceptorum etiam per vomitum (h) recursio, & jacendi negata, atque displicens omnis positio; sputa faci-

---

san scribendum, *retinentia*, quod verum in pleuriticis, qui ideo in sanum latus recumbere haud facile possunt, quia renituntur vehementer & molestissime partes lateris alterius dolentis præter modum spasmo distentæ & inflammatæ. Vid. Noster mox Cap. XVI. Verum ego hic ἐπέχω, quia in Auctore explicando versamur parum perspicuo, nec humano more loquente ubivis.

(e) Ita supra lib. II. C. I. Acut. morb. *pejorante morbo & pejorante strictura*, & infra cap. 15. *omnibus pejorantibus signis*, & alibi passim in hunc modum. Nempe græcum exprimere voluit, ἐκκακουμένου vel ὑπερκακουμένου τοῦ πάθους, quod apud Hippocr. Alexandrum Trall. aliosque Medicos græcos sæpius occurrit. Usus tamen etiam hac voce Paullus JCtus, Lib. Sentent. II. Tit. 18. p. 136. ut annotatum in Lexicis; licet nihil, quod jure mireris, de ea observarit Cl. Duketus, in eximio Libro de Latinitate Vet. JCtorum, indicavit tamen Calvinus, in Lex. Jurid. p. 687.

(f) ὥσπερ κυματώδης, ut Medici Græci loquuntur; Vid. Galen. Lib. I. de different. puls. cap. 26. & alibi.

(g) Græce περιωδυνομένη vel περιώδυνος, ut Hippocrates loquitur, vid. Foes. in Oeconom. p. 303.

(h) In græco Sorani forte fuerat, ἀναδρομὴ τῶν προσλαμβανομένων δι' ἐμέτου: ut & Hippocrates loquitur. Emenda obiter Hesychium in ἀναδραμεῖν, ἀναβῆναι αὐτὸς, legeque mecum haud degeneri quidem spero, conjectura, ἀναβῆναι αὖθις, vel αὖτε ascenderet rursus.

facile ſiccantia, & magis ſalivoſis ea, quæ fuerint contra vel in denſitatem coacta.

Etenim ſpumoſa ſanguinis in qualitatem tranſeunt: ſanguinolenta in livorem. Item fellea, æruginoſa, atque praſina, vel nigra efficiunt, ſanioſa, fæculenta, vel fumoſa & odore gravia, & inæqualia, mutato etiam ſæpe ordine ſuæ egeſtionis.

Item poſt felleam, vel ſanioſam qualitatem in ſanguineam tranſeunt, vel quamlibet coloris varietatem.

Tumoris etiam vehementia luctante *i*) alia in ſoliditatem coguntur; alia in nigredinem veniunt, ob fervoris uſturam.

Aliqua ruptis vaſculis funduntur; quapropter ſanioſa qualitas, poſt ſanguinea perſeverat; ſed ſpumoſa rurſum fit, cum ſingulas per partes tumor quatiens liquida, ſpiritu turbato, ſpumoſam ſufficit qualitatem.

In ultimo autem cogente periculo celerrima fit ſpiratio, & præcordiorum ſuſpenſa adductio, pulſus inordinatus, aut deficiens, aut deferens in his, quæ in peripneumonicam paſſionem, aut (k) apoſtema tranſire noſcuntur.

At ſi ipſa fuerit levigata; ſingula miteſcunt, & ventris egeſtio coagulatur, aut fellea carebit qualitate; & per

G

(*i*) Id eſt, ingraveſcente & vehementius inſurgente eleganti metaphora, e palæſtra & media arena, ut notum, petita. Ita *luctatur ſtatus in nube*, Seneca & Plinius, qui & *luctante ſpiritu incluſo*, dixit: quomodo *luctata vis ventorum* Ovidius, *luctata faſta & luctatus ignis*, Lucanus; ſed obvia hæc talia ubivis, & ex quibuſvis Lexicis & Indicibus peti commode poſſunt; ſi quis tamen cupidus valde fuerit ejuſmodi Cupediarum. Nos de his obiter ſaltim & in tranſcurſu, & tantum, quantum ad Auctorem noſtrum faciat illuſtrandum. Nos enim hic properare & meliora, ſi quidem pote, propinare decet: ne nobis forte objiciatur, illud Galeni Comment. in I. Epidem. Hipp. *οἱ μὴ δυνάμενοι κατὰ τὴν ἰατρικὴν τέχνην ἐξηγεῖσθαι καλῶς, ἐπὶ τὰς τοιαύτας ἐκτρέπονται περιεργείας.*

(*k*) Apoſtema hic ſtilo Veterum, latius laxiuſque ſumtum videtur pro empyemate. Hodie vero accuratius inter apoſtema & empyema diſtinguunt ſolertiores artis chirurgicæ

& per tussiculam exclusa saniosa minime in sanguinolenta redeunt. (*l*)

Discernendum etiam, quæ sint sputa saniosa, & quæ sit sanies. Nam saniosa jam mitescentis tumoris, atque declinantis solutione esse probantur.

Sanies vero ex apostemate, quod etiam vomicam dicere poterimus, vel certe ex ulcere probatur venire.

Discernitur autem (*m*) exercita inventione; hoc est colore, & substantia, & odore: frequenter enim tetri odoris est sanies. (*n*)

Item saniosa admixtione aquæ facile solvuntur; sanies autem difficile.

Dolorem vero pejorem alii (*o*) dextri lateris probant,

---

gicæ scriptores Vid. Severin. de Abscessibus, item Hildan. Fabric. ab Aquapendent. & alios innumeros.

(*l*) *Saniosa sputa* hic appellat critica, cocta, pinguia, subflava & facile exscreabilia, quæ mitescente & remittente jam pleuritidis atrocitate, circa quartum aut quintum, aut septimum diem, & deinceps, salutariter prodire solent, & ægrotum extra periculi aleam fere collocant, ceteris quidem paribus. De quibus nos supra in ipsa Exercitatione nostra nonnihil distinctius. Hinc laudat noster Hippocrates in Coac. prænot. & alibi πτύαλα πλευριτικῶν ξανθά, μυξώδεα, λιγνυώδεα ἢ χρωματιζόμενα, h. e. *sputa flava*, *mucosa*, *fuliginosa & coloratiora*, quæ hic per *saniosa*, reddere videtur Cælius noster, nescio quam bene, aut commode.

(*m*) Hoc est *exercitata observatione*, ut vir doctus in margine recte exponit, vel *crebro usu inventa distinctione & differentia*. Sic Noster infra Lib. IV. Chronic. Cap. 3. *vinum exercitioris paullo virtutis*. *Exercitus* vero pro exercitatus, sæpius occurrit apud probæ monetæ Auctores, conf. Non. Marcell. p. m. 7. ut Lexica taceam. Sed vide Cel. Burmann. ad Petron. Cap. LXXXIII.

(*n*) βορβορῶδες καὶ δυσῶδες, ut vocat, & damnat Hippocrates in Coac. prænot. & alibi.

(*o*) Dextri lateris pleuritis frequentior, & plerumque mitior; sinistri contra periculosior & insidiosior; rarior tamen & infrequentior. Id nos diligenter in quam plurimis ægrotis observavimus; nec unquam fefellit augurium, vid.

bant, ob pulmonis vicinitatem; alii sinistri, vicinantis cordis caussa forsitan, & quia frequentius sinistra dextris debiliora videntur.

Item Pleuritis, nunc eodem tempore febriculæ concurrit; nunc supervenit; nunc antecedit, nec cessante febricula, perseverat. (*q*)

G 2 CA-

---

vid. supra in Nostris Aphorismis. Etsi veram hujus varietatis caussam nos ignorare ingenue fatemur; quam enim Noster hic subjungit, rationem, futilem potius esse censemus, quam utilem aut probabilem, ut quivis deprehendet statim.

(*p*) Hæc ex Hippocrate desumta videntur, Lib. III. de Morb. XXVI. *ὁκόσῳ αὐτὰ ἰσχυρότερά ἐστι τὰ δεξιά, τόσῳ καὶ τὰ νουσήματα ἐν αὐτοῖσιν ἰσχυρότερα δείκνυται*, *quanto robustiores sunt dextræ partes; tanto etiam fortiores morbi in ipsis fiunt.* Nimirum ex vulgivaga Veterum opinatione, dextræ corporis partes nobiliores, robustiores & calidiores credebantur sinistris, ut Aristoteles Lib. III. de Part. Animal. & Lib. IV. de Generat. Animal. & aliis locis, testatur, vid. Dieterici Jatr. Hippocr. p. 335. Inde ergo Plin. Lib. VII. c. 17. *Vires dextra parte majores*, ait, & ex hoc Solinus, *parti dextræ habilior adscribitur motus*, ubi vid. Salmas. distinctius adhuc Macrobius, Lib. VII. Saturn. c. 4. p. 415. *Omnes dextræ partes validiores sunt, & debiliores sinistræ.* Plura cum his vid. in Comment. Pricæi ad Apolog. Apulej. pag. 125. Ex hoc igitur fonte varia ridicula placita profluxere, v. gr. e dextro testiculo mares progenerari, e sinistro vero femellas, quod Hippocrates censuit, Lib. de Superfœtat. & Democritus, teste Columella, Lib. VI. c. 28. ubi vid. Cl. Gesner. item has in sinistris uteri locis gestari; illos vero in dextris, ut pariter credidit Hipp. Aph. 48. Sect. V. & Plin. Lib. XVII. c. 31. Porro dextram mammam dextrumque oculum validiores esse sinistris, quod itidem tradidit Hippocrates, II. Epid. Sect. VI. Inde etiam superstitiosa illa deliramenta de *pede dextro*, apud Petron. de *dextro sternutamento*, apud Voss. ad Catull. p. 105. & de *dextris avibus* in auguriis. Hinc & manui dextræ, honor in fide, fœdere & jurejurando, & sessio ad dextram summe honorifica, vid. Spanhem. ad Callimach. pag. 62. & 623. Grot. ad Matth. XX. pag. 345. VVolf. in Cur. phil. ad eund. loc. p. 293. & alibi, item

Dou-

CAPUT XV.

Quomodo intelligimus pleuriticam passionem in peripneumonicam transeuntem, aut in vomicam venientem.

INtelligimus eos, qui in augmento pleuriticæ constituti passionis, proni atque faciles in peripneumonicam (*a*) videntur, quum ceteris omnibus pejorantibus signis, atque in magnitudinem extentis, salus minuitur, atque jacendi positio ex parte facilior ac levior supina ægro fuerit visa, aucto genarum rubore. Con-

---

Dougtæ. in Analect. Sacr. P. I. p. 269. & P. II. p. 123. Sed omitto plura, quæ sunt alterius loci. Emendabo tamen adhuc unum Hesychii locum, mutilum & fere desperatum: Δεξιόν, inquit, ἔδος μέρος, legendum nempe εἶδος ἀξιώτερον, & simil. aut leg. Κῦδος μέρους, *gloria partis*.

(*q*) Forsan legendum hic, *nunc cessante febricula*; quod verum utique. Licet enim febris vel sua sponte soporata, vel medicamentis expugnata fuerit; perstat tamen adhuc diu dolor lateris pungens, ipso fatente Nostro, mox cap. XVII. & enata hinc respirationis molestia: Serosa quoque & catarrhosa pleuritis febri caret, & tamen est pleuritis, ut sæpius post Lommium, observavimus. Interea tamen nihil temere immutare audemus.

(*a*) Eundem plane in modum loquutus Hippocrates, Lib. de Affect. IX. ἔστι δ' ὅτε καὶ ἐκ πλευρίτιδος μεθίσταται ἐς περιπλευμονίην καὶ καῦσον: Quem locum singularem una cum aliis similibus produxeramus olim ante hos viginti annos, contra Cl. Freindum, contrarium paullo confidentius afferentem, in Epistola nostra Medico-Critico, p. 83. juvenili quidem scripto; nec tamen prorsus malo, si quid quidem credendum Diariis primi ordinis litterariis. Contra quam autem acerbius justo & insolentius insurrexit ferocuius quidam Regulus insulanus, nihil quidquam a nobis lacessitus, nec an natus esset, nobis antea notus. Qui vero nobis dignum ipsius petulantia & inani contradicendi pruritu responsum parantibus, justæ nostræ vindictæ opportuna morte paullo post subtractus fuit. Quare cum larvis atque lemuribus pugnare nos merito suppuduit, nec bella

Conducta etiam (*b*) superciliorum e medio vehementer, tanquam in mœstitudine constitutis, oculorum attestante fervore.

Eos etiam, qui in vomicam transeunt, intelligimus ex eo, quod dolor infixus eodem permaneat loco, accedente tussicula arida, atque tremore typico, & inordinato, spiratione difficili, quam grœce δύσπνοιαν vocant, cum dolore leviore, & pulsu denso

G 3 CA-

bella geri placuit nullos habitura triumphos. Hinc *cecidere odia, & tristes mors obruit iras*. Sed hæc obiter. Facilem ceterum pleuritidis descensum esse ad peripneumoniam, non mirum, propter intimam & consanguineam quasi partium dolentium vicinitatem & ἀδελφίσιν. Sunt enim pleuritis & peripneumonia ἀδελφέα καὶ συγγενέα παθήματα, ut Hippocrates loquitur; quare & veteres & recentiores Medicos utrosque morbos arctius conjunxisse & una tractasse, non sane est, quod quisquam magnopere demiretur. Conferantur, si operæ quidem pretium, dicta nobis hac de re cum in Epistola ista modo allegata, tum in ipsa Commentatione his supra præmissa, Cap. I.

(*b*) Græci hi eleganter vocantur συνωφρυωμένοι, item συνεστυφωμένοι καὶ συνεσκυθρωπακότες, de quibus vid. Hesychius, Suidas & alii Lexicographi item Foes. in Oecon. Hipp. pag. 346. Inde & Aristophanes in Plut. conjungit. æque ac hic, ὀφρῦς σύνηγον, ἐσκυθρώπαζον θ' ὅμα. & in Lysistrata, μὴ σκυθρώπαζ', ὀ πρέπει τοξοποιεῖν τὰς ὀφρῦς. Add. Celian. Hist. Var. XIV. 22. vid. Grot. Heins. VVolf. Elsner & alios, ad Matth. XXVI. 16. Cl. Alberti in Obs. Sacr. p. 55. & Desid. Herald. ad Martial. p. 11. Multum vero ex diversa superciliorum figura & actione de intimis animi recessibus colligi posse, notum est cuivis. *Ira enim contractis, tristitia deductis, hilaritas remissis ostenditur*, ut peropportune ad hunc nostrum locum Cælianum, ait mellitissimus Quinctilianus, Lib. XI. Instit. Orat. Cap. 3. p. 574. ex nitidissima Editione celeberrimi nobisque amicissimi Gesneri, quem propitia fata in publica commoda diu servent.

CAPUT XVI.

Quis locus in pleuriticis patiatur.

QUæsitum etiam est a veteribus, quis in pluritiscis locus patiatur? & quidam pulmonem pati dixerunt, ut Euriphon, Evenor, Praxagoras, Philotimus, Herophilus. (c)

Item quidam ὑπεζωκότα membranam, quæ latera, & interiora cingit, ut Diocles, Erasistratus, Asclepiades, & eorum plurimi Sectatores. (d)

Horum primi ajunt non esse in lateribus tumorem, quum neque extantia ulla earum partium inspectione sentiatur; neque rubor; nec motu, nec tactu, dolor acutus, vel fortis, tanquam manifestis tumoribus.

Accedit etiam, quod facile supra id latus, quod patitur, jacere possint ægrotantes; supra aliud vero, quod passione liberum videtur, si se jactaverint, difficultas spirationis accedat, si quidem nunc sustentatæ

(c) Horum præstantissimorum prisci ævi Medicorum & Anatomicorum, præter hunc Nostrum, Celsum & alios Veteres, meminere data opera, summus Vir Fabricius, Bibl. Græc. Tom. XIII. Lib. VI. cap. 9. Daniel Clericus, Hist. Med. Part. I. & II. Conringius, Gœlicke, Stollius, Neander & Vir Cl. nobisque amicissimus, Schulzius, in Hist. Med. passim; sed meminere tantum, quod jure dolendum, quia omnia eorum scripta doctissima irreparabili rei medicæ damno, interciderunt; ita ut hodie solæ tantorum nominum stent umbræ, ut cum Lucano loquar. Ceterum hos rectiorem ingressos esse viam, quando pulmones in pleuritide pati assererent; quam sequentes, qui solam membranam ὑπεζωκότα incusarent, demonstravimus supra, nonnihil disertius, ni falsa fuerit opinio de nostris virib., Cap. I. nostri Comment.

(d) Et de his magni Nominis Medicis videantur supra laudati Historiæ Medicæ scriptores, ut & Lexicographi, & qui clarorum Virorum Vitas nobis descriptas dederunt.

tæ (*e*) pulmonis partes jaceant; nunc veluti pendere sentiantur.

Dehinc etiam tussicula signum est ex accedentibus consequens morbum fibrarum pulmonis, esudati corporis liquoris, sive cannæ gutturis: singula etiam extussita de pulmone venire manifestum est, qui neque venis, neque arteriis, neque fibris contiguus, vel admixtus esse lateri videatur, ut per ipsum latere accepta excludi posse credamus.

Unde igitur dolores? numquid ne pulmonis sensibiles partes in passione constitutæ causa sunt? an vero ejus tumore latera vicinantia comprimuntur, & propterea dextrarum fibrarum tumor dextri lateris dolorem facit, sinistrarum sinistri? sed in peripneumonicis totus tumet pulmo, nec ullus tamen sequitur dolor.

Sed huic quidem sententiæ contrarii ajunt propterea neque ruborem, neque extantiam, vel dolorem ægrotantes consequi, quoniam in alto tumor esse videatur.

Quod autem supra patiens latus quosdam jacere prohibet; alios vero contra mitescendo relevat; illa caussa est quod incumbendo objectu (*f*) straminum pressa materia refugiat, atque ex partibus, quæ patiantur, ad sanas partes rediens, dolorem non faciat.

(*e*) Hoc est, aere inspirato suspensæ quasi & expansæ hincque leves; nunc vero turbato & impedito liberæ respirationis negotio, pressæ & collapsæ quasi: hunc enim sensum vox *sustentata*, hic involvere videtur, ut alias.

(*f*) Hinc mox Cap. 18. sapienter præcipit Noster, *jacere pleuriticos convenit mollibus stramentis*: infra quoque passim de lectis, straminibus, stragulis & culcitris ægrotorum diligenter tractat; quod & fecisse constat Hippocratem ipsum, Aretæum, Celsum, Alexandrum, Theodorum Priscianum, uno verbo, veteres omnes Medicos, ne Arabibus quidem exceptis. Maximi enim momenti hæc ipsis jure videbatur res, quæ hodie, ut alia præclara, sæculi torpore, neglecta & contempta jacet; quis enim quæso ex nostris Medicis, lectorum & stragulorum ægrotantium, ullam

At vero partibus non patientibus expressa, atque fugata, se patientibus impatiens, & has distendens, dolorem facit. Tussicula vero fit compatientibus ὑπεζωκότι membranæ vicinis, atque contiguis partibus.

Et tussita itidem sputa per pulmonem feruntur, siquidem per ipsum veniant ex vicinis, accepta per vias men-

---

ullam rationem habendam esse monuerit, aut aliquid distinctius de utilissima hac re docuerit, nisi Ballonium, Duretum, Sydenhamum, & inprimis Boerhaavium exceperis, qui passim veluti in transitu tamen, ad hanc quoque curam descenderunt? Quum tamen certissimum sit vel viles & simplices lectulos, stramenta & stragula, quis credat? plurimum omnino conferre ad morborum & incrementa & laxamenta, immo ad sanitatem & mortem adeo ipsam. Diversæ igitur naturæ morbos diversæ quoque materiæ lectos & culcitas exposcere exinde liquet. Alios hinc esse decet in chronicis; alios rursus in acutis morbis. Hi leves, lenes & refrigeratorios desiderant; illi contra molles, nonnihil graves & calefactorios, in omnibus ergo febribus acutis, ardentibus & exanthematicis, item vulneribus & ulceribus, præstant stramenta, linum, & inprimis corium & direpta tergora boum; vitanda vero sunt, vel maxime plumæ, pili, lana & gossypium vel linum xylinum, quoniam hæc incendium augent; illa contra restinguunt. Ex adverso in arthritide, podagra, paralysi, apoplexia, atrophia, hydrope, & similibus morbis a caussa frigida & tenaci humorum lentore obortis hæc calefactoria stragula e lana, cannabi, pilis, plumis & gossypio conducunt. Ita immundis visis & involuntario seminis lapsu divexatis *stramenta duriora atque frigerantia procuranda*, ex sapientis Nostri consilio, V. Chron. 7. *Cardiacis* contra II. Acut. 37. *Lecti concubationem neque duram, neque plus satis mollem; sed stramenta potius tenera & tritiora* idem suadet: Phreneticis vero, addo ego epilepticis & generatim, ubi violentus & turbulentus nervorum motus, tremor & strictura est, *stramenta & operimenta mollissima & tenuissima convenire* asserit I. Acut. 9. & Aretæus. Sic & frigidis in Venerem *plumas & meliora opertoria vel stramina*, ordinat Theod. Priscianus, Lib. II. cap. 11. p. 85. Rhachiticis deniq; conducit recubitus in daleis, duriori-bus

mente sensas, quas (g) λογοθεωρήτους appellant, sicuti & in vomicis contingit, quanquam frequenter ad

---

bus straminibus & herbis aromaticis, & validis & siccantibus. Sed hæc sese angustis Notarum carceribus includi ægre patiuntur; quin potius peculiarem & diductiorem tractationem requirunt. Utinam vero collectis a me dudum ex præstantissimis Auctoribus veteribus in hanc rem plurimis notatu dignis observationibus supremamm tandem manum, per negotia imponere liceret.

(g) Λογοθεωρήτους vias hic vocat Cælius soli mentis aciei & ratiocinio retectas ac pervias; externis vero sensibus intectas prorsus atque indespectas. Utitur autem & infra aliquoties hac voce, alias nec apud alios auctores, nec in Lexicis facile obvia. Ita Lib. III. Chron. Morb. cap. 2. p. 436. *immensa signa, quæ Græci λογοθεώρητα vocaverunt*, ubi tamen *immersa*, legendum potius videtur, aut *infensa*, ex hoc nostro loco, stilo quidem Cæliano, nam *immensa* haud dubie vitiosum. Tueri vero sese potest hæc conjectura ex alio loco, Lib. V. Chron. cap. 10. pag. 587. ubi de ipsis empyicis, & ipsis his viis purulentis absconditis, æque ac hic, sermo: *Alii ajunt vias esse latentes, quas λογοθεωρήτους appellant*. Meminit & Hippocrates ejusmodi viarum, aut caussarum & rationum λογοθεωρήτων, Lib. de Arte, XIX. ὅσα γὰρ τῶν ὀμμάτων ὄψιν ἐκφεύγει, ταῦτα τῇ τῆς γνώμης ὄψει κεκράτηται: quæ cultissimis numeris Ovidianis Lib. XV. Metamor. ita latine reddere liceat: - *quæ Natura negabat visibus humanis; oculis ea pectoris hausit.* aut Manilianis, Lib. IV. Astron. *Atque oculos mentis quæ possit cernere cuncta, Quamvis occultis Natura condita caussis:* omitto talia plura alibi mihi hac de re notata. Talia autem λογοθεώρητα præsertim in physicis & anatomicis, multa erant olim, erunt aliquando, & sunt hodieque. Huc pertinebant V. G. periodicus sanguinis discursus, item vasa lactea & lymphatica, ductus chylifer thoracicus, nec non valvulæ in venis, vasis lacteis, lymphaticis, ductu thoracico, ut & ureteribus conspicuæ, & alia innumera jam taceam a Viris maximis & plusquam humana solertia præditis, Malpighio, Leeuvvenhoekio, Boyleo, Ruyschio, Boerhaavio, ut & Nevvtono in physicis, qui ultimas humani ingenii metas non attigit solum, sed fere

ad externas partes (*h*) verticem faciant: vel fracto latere sanguinolenta excludantur sputa. Nam profecto insensibilis omnis est pulmo. Debuit igitur nullus fieri dolor.

Sed si ex oppressione ὑπεζωκῶς membranæ ex pulmone vicino tumente, dolor fit; debuit magis ægrotans tunc dolere; quoties jacuerit in latus, siquidem tunc magis incumbens opprimit pulmo: dehinc etiam peripneumonicos dolere oportuit.

Si

---

fere supergressus est, inventa felicissime & demonstrata luculentissime, de quibus vid. Celebrr. Heisterus in Anatome & Oratione doctissima de Incrementis Anatomiæ Sæculi XVIII. nec non Dissertat. de subtilitatibus anatomicis. Ejusmodi porro λογοθεωρητον nostra imprimis tempestate sunt cœca illa & humanis visibus adhuc abstrusa itinera mictualia, per quæ potus affatim haustus, spreta ordinaria circulationis lege, via compendiaria, ad Lotii officinas ocyus delabitur; de quibus nonnihil dixi in Epist. II. de Veterum Variolis & Anthracibus, ad Nobilissimum & amicissimum Hahnium perscripta. Sed de his hactenus: plura enim & longe meliora his de rebus, quo & jure pertinent Nævi materni, nutritio fœtus in utero per os, de fulmine tactis, aliaque id genus problemata plura, hic dici possent, si locus quidem pateretur.

(*h*) Vertex hic est tuber extans, sive prominentia mucronata & acuminata ex collecto & in unum locum coacto pure elevata; unde infra Lib. V. Chron. Cap. 10. p. 583. *Verticosa* est *inflatio impressioni digitorum cedens, ac resurgens*; ita enim ibi legendum forte videtur, haud *verricosa* aut *verrucosa*, quod vulgo legitur & perperam defenditur in Nota, ab Ammano. Pace Lectoris, liceat nobis hic data occasione, locum quendam Hesychii corruptissimum & hactenus fere immedicabilem visum obiter emendare. Κοασωλογος, inquit doctissimus Grammaticus, βόθυνος, ὄχθος, ἀνάστημα γῆς, σπέμα. Heu monstra & prodigia verborum! Tu sodes, mecum lege, certissima quidem conjectura: Κοσώλοφος (hoc est *vertex*) βωμός, θῖνος, ὄχθος, ἀνάστημα γῆς, ἔπαρμα. Certe ἔπαρμα, pro σπέρμα, legendum esse indubitatum quidem est. Sed satis.

Si enim ex parte tumens pulmo dolorem facit; magis omnis in tumore conſtitutus facere debuit.

Patitur itaque ὑπεζωκὼς membrana, & propterea dolorem vehementem facit: ſiquidem ſit nervoſa atque lateribus infixa.

Hinc denique quoties tumore denſatur, (*i*) oſſibus vicinantibus abſtenta, ire latius prohibetur, & eorum converſione naturali quatitur motu, atque acuti doloris accipit cauſſas.

Item ſpiratione thoracis, adducti ſpiritus vicinatæ, pulſata, inſuſtentabiles (*k*) dolores facit. Manifeſta namque conjectura eſt, quod ipſa patiatur.

Siquidem tumoris augmento collectionem in pleuriticis faciat, & expirantibus ſæpe ægrotis nigra inveniatur. Hes denique (*l*) venenatos quidam putaverunt.

Igitur

(*i*) Hoc eſt *Coſtis*, conſueto Veterum ſtilo, ὀςᾶ etiam paſſim vocat eodem modo Hippocrates, Galenus & alii, imprimis Aretæus, Lib. I. Morb. diurn. Cap. 9. de quo loco vid. noſtras Obſervationes, Editioni Boerhavianæ adjectas, p. 517.

(*k*) Frequenter hac emphatica voce utitur Noſter, ut & Theodorus Priſcianus; ſed & latiniſſimus & lacteus quaſi Lactantius, *inſuſtentabili dominatione*, dixit, Lib. VII. Inſtit. c. 16. & de Mort. perſecut. c. 49. *inſuſtentabili dolore*, ubi vid. Cl. Buneman. in Not. p. 1484. & nos infra ad Theodor. Priſcian. Græcis eſt ἀφόρητον, ἀβάςακτον καὶ ἀνυπομόνητον, vid. Heſych. & Suid.

(*l*) Elegantius adhuc ejuſmodi pleuriticos derepente oppreſſos & ſuffocatos Hippocrates ex Veterum mente, appellat βλητὰς, h. e. ſideratos, fulmine tactos, aut, ut Maro loquitur, *fulminis adflatos ventris & igni contactos*, græce ἀςροβολήτους, ἀςροπλῆγας, κεραυνοπλῆγας, κεραυνοβλήτους, ἐμβροντήτους καὶ ἐνηλυσίους, de quibus vid. Heſych. Phavorin. Suid. Ariſtotel. Plutarch. & alios. Sic vero Hippocrates in Coac. prænot. pag. 561. *liveſcunt & nigreſcunt lateris externa, ſic vero affectos Veteres ſideratos & de cœlo tactos quaſi appellabant*. Sed clarius adhuc hac de re & proptius ad hunc noſtrum locum, idem Lib. de Victu Acut. IIX. Μάλιστα δὲ τοὺς τοιούτους ἀποπνιγέντας οἱ ἀρχαῖοι βλητοὺς ἐνόμιζον εἶναι,

Igitur in pleuritica passione non simplicem lateris dolorem; verum etiam febre acuta attestante, totum corpus pati videmus. Etenim febres totius corporis sunt: plus tamen pati ὑπεζωκότα; membranam recte dicimus, siquidem sint in ipsa dolores constituti.

CAPUT XVII.

Quæ sunt similia pleuriticæ passioni, & quomodo internoscuntur.

SImilia pleuriticæ passioni dicuntur, dolor lateris; collectio (m) in ejus medio constituta; item vomica, quam Græci empyema vocant, suspirium, sive spiratio difficilis, quam iidem dyspnœam vocant. Item ad nares catarrhus, quem vocant coryzan, & anhelatio.

Siquidem supradictis tussicula, atque spiratio difficilis adjuncta esse videatur, & febricula, & dolores accedentes pleuriticam fingant.

Sed discerni atque internosci suis proprietatibus possunt: Nam dolor lateris etiam sine febre plerumque est, & longo tempore perseverat; vel quoties celer est, sine varietate sputorum, vel excrementorum esse per-

εἶναι, διὰ τόδε μάλιστα ἔχόηκιστα δὲ, ὅτι καὶ ἀποθανόντων αὐτέων, ἡ πλευρὴ πέλιν διαίσκεται, ἴκελον τῇ πληγῇ, ubi πληγὴ est ipse fulminis tactus, & fulguraris ignis repentinus adflatus, quod haud intellexit Interpres. Sed de his βλητοῖς plura & accuratiora docebunt Fœsius, in œconomia Hipocr. pag. 77. Hyeronymus Mercurialis, Lib. VI. Var. Lect. cap. 9. & alii quoque Lexicographi.

(m) Silicet abscessus sive vomica, stilo Cæliano, ut supra jam monuimus, & mox hoc ipso loco aliquoties legitur, ita & infra Lib. V. Chron. pass. cap. 10. *Hæc enim empyemata sunt, quæ in occultis nata collectiones nuncupantur.* Plura in Lexico Cæliano Almeloveenii.

perspicitur: (*n*) In pleuriticis vero dolor acutus, cum febribus acutis, & sputis supradictis invenitur.

Item ab empyicis, hoc est vomicosis, sive collectione laborantibus discernitur pleuritis, quod febres noxiæ atque acutæ & inordinatæ in pleuriticis inveniantur.

Vomicosis vero, vel collectione laborantibus, antecedente corporis horrore frigido, (*o*) atque dolore pungenti, eodem tempore, hoc est, quo in vomicam tran-

---

(*n*) Tum vero tanto pejor tantoque periculosior ægrotorum status. Hæc enim pleuritis, quæ nibil plane tussi emolitur, omnium est atrocissima & tantum non internecina; unda eam Galenus Comment. in III. Epidem. Hipp. significanter appellabat ἀπεπτοτάτην, *crudissimam*, & quasi *incoctissimam*, si ita quidem loqui liceat; vide nos supra in Aphorismis, ubi plura hac de re dicta a nobis sunt. Inde & optime in hunc sensum ipse noster Hippocrates, in Coac. prænot. p.557. αἱ ξηραὶ τῶν πλευριτίδων καὶ ἄπτυστοι χαλεπώταται, *siccæ & nullo sputo comitatæ pluritides dirissimæ & expugnatu difficillimæ*, hæc enim vocis χαλεπώταται propria vis, ab interpretibus nec intellecta bene, nec scite expressa. Hinc contra πτύαλον χρὴ ἐπὶ πᾶσι τοῖσι πλευριτικοῖσι καὶ περιπλευμονικοῖσιν εὐπετέως τε καὶ ταχέως ἀναπτύεσθαι, uti paucis interjectis, idem vere & graviter pronunciat artis salutaris Coryphæus; vid. & si lubet, quæ supra a nobis passim hac de re monita fuerunt.

(*o*) Hoc ipsum pluribus persequitur Noster, infra, ubi de Empyemate tractat ex instituto, Lib.V. Chron. Morb. Cap. 10. ubi inter alia hæc leguntur: *Omnibus igitur collectionibus generatis, vel quum tumor in liquorem vertitur, sequitur febricula vehemens, inordinata, & sæpe cum rigore, & torpore frigido, vel iniquitate corporis; tum loci fervor incendiosus, gravedo, tensio, & exceptis, quæ in pulmone fiunt, sæpe stimulans dolor, & pulsosus; & tum celer pulsus atque humilis, & sæpe sudor, magis capitis, atque collorum. Dehinc perfecta purulentatione, rigor corporis atque tremor circumscribitur, & febrium recedit inquietudo, ac dolorum* &c. Nempe ex Hippocrate hæc ipsa petita ceu fonte perenni, *cujus ex ore profusos omnis posteritas latices in commoda duxit*, hujus en verba, Aph. 47. Sect.II. Περὶ τὰς γενέσιας τοῦ πύου, οἱ πόνοι καὶ οἱ πυρετοὶ ξυμβαίνουσι μᾶλλον, ἢ γενομένου, ubi vid. post Galenum, Hollerium, Heurnium, Hequetum & alios innumeros, qui in Aphorismos fuerunt commentati.

transeunt ægrotantes, sputa sequentur, quæ antea nulla fuerant, rejecto prius pure coacervato in latere collectionis caussa.

Laterum quoque veluti conversionem hic sentiunt; aliquando etiam sub ipsis extans, vel prominens collectio sentitur. (p)

In pleuriticis vero febricula ex initio vehemens; atque sputa contra naturam, & varia reperiuntur.

Item ab spiratione difficili, & orthopnœa, & catarrho, quem supra diximus ad nares fieri, & anhelatione, celeritate discernitur, & febri atque dolore. Siquidem illa tarda sint, & sine febribus, aliquando etiam sine dolore.

CAPUT XVIII.

Quomodo curandi sunt Pleuritici.

JAcere Pleuriticos convenit mollibus (a) stramentis, loco lucido, atque calido, & mediocriter amplo: Schemate, quo se melius ac facilius haberi perviderint:

Adhi-

(p) *Laterum conversionem* vocat fluctuantis puris & agitati strepitum, ac velut inundationem, cum ex altero latere in alterum æger vertitur; ut bene hic notat Ammanus. Nituntur vero hæc auctoritate omni exceptione majore Hippocratis nostri in Coac. prænot. p. 561. ubi verba ὥςε καὶ προ πεσεῖν πρὸς τὴν πλεύρην, satis scite hic expressa a nostro Cælio videntur per *Laterum veluti conversionem*. Eadem vero habes apud Aretæum, Aetium, Alexandrum Trallianum, Theodorum Priscianum & alios, quibus adde imprimis quæ summus hic notavit Boerhaavius, item Sydenhamus, Vvillisius & Hoffmannus; alios minorum gentium Deos ut hic taceamus, qui prælustribus horum radiis penitus obscurantur.

(a) *Prima enim celeritatis morborum mitigatio est straminum mollities*, inquit Noster infra Lib. III. Acut. Morb. c. 8. qui

Adhibita requie, & cibi abstinentia, usque ad tertium diem, ab accessionis tempore, (*b*) vigilantia cum articulorum tenaci, blandaque defricatione manu calida.

Vaporanda etiam, quæ sunt in dolore constituta, calidis pannis, & cum accessio statum sumpserit, lanis limpidis, ex oleo dulci calido expressis, contegenda.

Adhibenda fomentatio lenis capiti, atque inguinibus & sitis sub umbilico (*c*) locis, ex eodem oleo, simi-

---

qui locus notatu sane dignissimus. Ut & alter Lib. I. de Morb. Chron. cap. 1. p. 270. *Mitigatur quodam blandimento straminum pars in dolore constituta.* Sed nolumus hic ea repetere, quæ strictim & circumscripte hac de singulari re nobis jam dicta supra modo ad cap. XVI. & alibi luculentius, plenius ac distinctius a nobis dicentur aliquando cum DEO & die, siquidem fati indulgentia vitam otiosiorem, quam qua nunc fruimur, nacti fuerimus.

(*b*) Per quam vigilem sane hic esse oportet Lectorem, qui hanc obscuram & somnolentam Auctoris vigilantiam recte cognoscere & liquide interpretari cupit. *Vigilantia* enim *articulorum tenax* hic idem esse videtur, ac assidua & indefessa articulorum tractatio & permulsio manu calida & materia pingui aut cerea perlita peracta, ut ex sequentibus patet, magisque patebit ex locis aliis infra adscribendis. Ita mox Lib. III. acut. morb. cap. 5. *Utendum etiam articulorum blandi tactus continentia*, clarius adhuc cap. 21. ejusdem Lib. *Convenit etiam articulorum levis atque impressa defricatio; cum quadam perseverabili tenacitate*, (hoc est vigilantia): item Lib. III. Chron. c. 2. *articulorum blanda convenit defricatio, cum quodam calidarum manuum amplexu, ut etiam tenendo medeamur*: Vid. ibid. Cap. I. Vel maxime vero facit huc locus a Lib. IV. Chron. morb. c. 3. p. 505. *propter articulorum frigus adhibendi tepores, cum blanda manuum tenacitate, quam diacertosin vocant*, vel potius *diacerosin*, nempe, διακηρώσει ut vir doctus in margine conjicit haud infeliciter. Omitto loca alia in hunc sensum passim apud Nostrum obvia; hæc enim jam sufficere crediderim.

(*c*) Τοῖς ὑπομφαλίοις, ut scite Græci loquunnur, v. Galen.

ſimiliter calido, & magis, quando fuerint (*d*) indulgentia corporis relevati ægrotantes.

Sin minus, addenda etiam cataplaſmata ex polline, atque lini ſemine, & (*e*) fœnu græci, cum aqua & oleo coctis.

Tunc oris collutione utendum & potu aquæ calidæ, moderate quidem, ne plurima liquoris humectatio ſputorum provocet fluorem.

Tunc ſomno dimittendus ægrotans. At ſi venter fluxerit, poterit ſomnus ante dimiſſionem, permittente, hoc eſt declinante acceſſione, prohibitus arceſſiri, ſcilicet laxaticis cataplaſmatibus.

Sed ſi dolor vehemens fuerit, phlebotomiam convenit adhibere; ſi nullus ventris fuerit fluor, intra tertium diem.

Sin vero fuerit adjuncta ventris ſolutio; prorſus in ipſa (*f*) diatrito erit phlebotomia adhibenda, ſic, ut

---

len. & Ariſtol. de Gen. Anim. *τοῖς ὑποκάτω τȢ ὀμφαλȢ τόποις* dixit frequenter Hippocrates.

(*d*) Indulgentia hic eſt laxamentum, remiſſio, mitigatio, qua voce Noſter frequentiſſime delectatur, ut ex Lexico Almelovenii Cæliano patet uberius, ita infra III. acut. 8. *laxamentum & indulgentiam* conjungit, ſupra I. acut. 27. *corpus indulgentia laxatum*, dixit, & alibi, *indulgentia febrium & morborum*, item & *indulgentior cera*, pro molli & ductili, eleganter dictum infra II. Chron. 1. *Indulgeri* atque *laxari* conjunxit quoque Gellius fine Libri ſui, ut Lexicographis quoque obſervatum.

(*e*) Hoc vero propter viroſum & nauſeoſum fœtorem prudenter omittit in cataplaſmatis antipleuriticis Theodorus Priſcianus Lib. II. cap. 4. en ipſa ejus verba: *Perſeverantibus vero doloribus, etiam cataplaſmata chalaſtica cum melle de ſeminibus ſuperaddo, detrahens ſpeciem fœni græci, quod, ut expertus ſum, febrientibus caput ſemper dolore & inflammatione ſollicitat*; quod ipſe pluribus confirmat Aetius Amidenus, Lib. I. p. 23. φυλάττεσθαι δεῖ, inquiens, τὴν τȢτȢ (ſcil. τίλεως, aut χτήλεως) ῥῆσιν, ἐπὶ τῶν εὐπαθȢ ἐχόντων τὴν κεφαλήν. *Abſtinendum eſt a fœnu græci uſu illis, qui capitis doloribus facile obnoxii ſunt*: ubi vid. reliqua.

(*f*) Modo dixerat *tertium diem*, id enim eſt *diatritum*, Gr.

ut prædiscere possimus, utrum sit perseverans, atque superior strictura magis, quam solutio.

Sæpe enim concurrens ventris solutioni sanguinis detractio, ægrotanti novissimam intulit defectionem.

Quapropter perspiciendum, utrum usque ad dimissionem accessionis, fluor ventris perseveret; vel ejus meatio mordicationem quandam faciat podici, vel intestinis: suspecta etenim habenda est istiusmodi defluxio. (*g*)

Ita adhibenda phlebotomia; sed ex (*h*) alio brachio, quod fuerit dolenti lateri contrarium, certæ rationis caussa, quam sæpe memoravimus.

H Tunc

Gr. διάτριτος; Ita sup. Lib. I. acut. Morb. c. 3. *diatritæum tempus*, dixit, & infra innumeris fere locis *hæc diatritos* recurrit, quod ex Thessali Tralliani. Thrasonici illius sectæ methodicæ reformatoris, & reductoris disciplina est petitum, ut notum, qui intra hoc triduum, sive diatritum, in morbis nihil movebat aut agebat; sed inactuosus saltim Tragœdiæ erat spectator, (ut sic cum S. Augustino loqui liceat,) ægrosque triduana inedia inepte macerabat; quod temerarium prudentiæque practicæ egenum facinus merito ridet & explodit passim Galenus in Libris de Medendi Methodo. De ipso hoc homine fastoso, ejusque assectis, qui per contentum, haud illepide *Diatritarii* ab hac Diatrito vocabantur, vid. Dan. Clerici Hist. Med. Part. II. Lib. IV. Sect. I. cap. 3. pag. 153. Gorræi Definit. Med. p. 109. quem exscripsit pæne ad verbum Pancrat. Bruno, in Lexico. Med. Neandrum in Hist. Med. Cl. Stollium, aliosque plures. Notior enim hæc est res, quam ut multis hic doceri debeat.

(*g*) Ob erosionem scil. intestinorum, & exinde enatam convulsionem aut gangrænam ipsam ex nimia excrementorum acrimonia jure metuendam. Sed nec eo quidem tempore, sanguinis detractio, modica tamen, penitus repudianda; licet cautione & judicio opus sit quam maxime, vid. nos supra, & in Hist. Pleurit. II. & VII. &c.

(*h*) Hoc quidem perperam & ex præjudicio magis, quam judicio, licet hoc ipse quoque Aretæus, ut veterum multos alios taceam, asseruerit, Lib. I. cap. 10. de Curat. acutorum morborum; ubi multa non indocta nec inutilia dispu-

Tunc post (*i*) mediocrem sanguinis missionem, quæ magis conjicienda est ex conjunctione, quamquam levissimæ solutionis, quiescere permittimus ægrotantem, atque resumptum, (*k* laxativa perunctione curari, oris etiam adhibita fomentatione, digesto scilicet (*l*) adjutorii turbere, dabim sorbilemus cibum, ex oleo dulci confectum, sive melle, ne liquidorum

---

disputantem vid. Petr. Petitum in Doctissimo Commentario, pag. 242. Solide vero hoc inveteratum exitiosum & perniciabile præjudicium exploserunt, contrariumque perquam luculenter docuerunt Viri magni, Petr. Brissotus & Renatus Moreau, in Lib. de missione sanguinis in pleuritide, supra nobis aliquoties laudati, quibus adde sis in ipsa nostra Commentatione Cap. II. uberius hac de re a nobis disputata & demonstrata.

(*i*) Immo immodicam potius & ad animi usque defectionem continuatam sanguinis missionem, si vires quidem, ætas, aliæque circumstantiæ sedulo advertendæ permiserint, diraque morbi atrocitas efflagitaverit, qua de re & in Aphorismis & in ipsa Tractatione Cap. II. uberius a nobis actum. Aretæus etiam hic justo timidior est, derelicto temere suo magistro Hippocrate, qui ad animi usque defectum, venæ sectionem aliquoties imperavit, vid. de Vict. Acut. p. 227. &c.

(*k*) Hoc est *refocillatum*, *recreatum*, *refectum*, quomodo verbo *resumere* frequentissime ita usos esse constat Nostrum, Theodorum Priscianum, Veterumque alios, de quo vid. Barth. in Advers. LIV. 16. p. 2554. notante Almelovenio in Lexico Cæliano; licet hanc vocis significationem ignorent Lexica nostra: græce dixeris ἀναληφθέντα. Ἀναλαμβάνεσθαι enim hoc sensu sæpissime apud Hippocrat. occurrere, observat in œconomia Foesius, p. 31. Add. Dieterici. Jatr. Hipp. p. 180. seqq. Gorræi Defin med. pag. 33. Hesychius quoque, ἀναλῆψαι vel ἀναλήψεσθαι, ἀναθρέψαι, sic enim legendum, non ἀναλῆσαι, ἀνατρέψαι, ut vulgo mendosissime legitur. Huc & Suidas in ἀναλήψης, ἀνάῤῥωσις, κ. λ. Sic & sæpe apud Demosthenem.

(*l*) Scil. venæ sectionis; nempe sedatis turbis a sanguinis missione in corpore excitatis.

rum (*m*) provocentur sputa, importunitate temporis, hoc est initio, sive augmento passionis.

Dabimus etiam pultem calidam, atque madidam, sine sale: vel panem ex aqua calida. Sed si venter fluxerit, pultem dabimus (*n* crassiorem, sed calidam, quoniam in tumentes prius partes incurrat: (*o*) tunc post cibum, somno dimittimus ægrotantes, usque ad solitum accessionis tempus; quæ cum fuerit effecta, erunt adhibenda, quæ supra memoravimus, congrua. Adhibendus etiam cucurbitæ levissimus raptus: (*p*) sed cum statum cœperit accessio, adjecta etiam scarificatione: cum ad dimissionem declinando pervenerit; tunc spongiarum adhibenda vaporatio, atque cataplasmata laxativa, frequenti mutatione novata.

Sed si ventris fuerit fluor, erit quidem his utendum ob tumorem. Siquidem immutabilis dolor augeat liquidorum defluxionem, vigiliarum atque corruptæ digestionis caussa ungendi sunt.

H 2 Igi-

(*m*) Deficit hic vox *usu*, vel *humectatione*, supra etiam adfuit *liquoris humectatio*; sic ergo legendum.

(*n*) Scilicet ad sistendum sensim liquidum alvi profluvium; plus etenim crassior adstringit, reficit, roborat & excrementorum acrimoniam sua spissitate tenaci eo facilius obtundit & infringit.

(*o*) Calidam nempe pultem præcipit, ad partes dolentes & tumentes eo melius mitigandas & permulcendas. Omnia enim calida paregorica sunt & nervis amica, ut in Aphorismis, & alibi, loquitur Hippocrates.

(*p*) Explicat hoc ipse Noster supra, Lib. I. Acut. Morb. Cap. II. *Lenibus cucurbitarum raptibus utemur, quæ Græci abusive κέφας vocant*; nisi & ibi *levibus*, potius legendum fuerit, ut hic. κȣ̃φον enim proprie est leve, ut notum, Hesychius, δῦφον, κόπον, μετεωρον, vitiose, lege, ἄκρον vel ἀκροπλȣ̃ν, μετέωρον: Immo leg. ἄκοπον, quod enim sine labore & molestia peragitur, κȣ̃φων sive leve est, vel potius κεμπόν, ita supra, κεμπός, κȣ̃φος. Sed & infra Lib. III. M. Chron. c. I. *cucurbitæ lenissimis raptibus detrahendæ*, legitur; ideo nihil supra mutandum: His vero levi-

Igitur ægrotantes plantaginis ſucco reficiuntur: & aliquando ſimplici, aliquando admixta acacia, aut ptiſanæ ſucco, quo ſit præcoctus mali punici cortex, vel myrti, aut agreſtis *(q)* celſæ coma, quam rubum vocant, aut roſa, vel galla, & his ſimilia.

Etenim alia quæque nimium conſtrictivæ virtutis, vel multorum admixtione compoſita, immodica denſatione majores membranarum provocant neceſſario tumores, quos paſſionis nequitia & tardare faciles, & adjutoriis medicinalibus cedere difficiles facit, adjuncta ſcilicet ſolutione.

Quare cum prolixiores fieri viderimus dimiſſiones; clyſtere utemur, ſolutione ceſſante: cataplaſmatibus au-

---

levibus cucurbitarum rapidis opponuntur infra a noſtro Cælio *cucurbitæ rapidæ, forti raptura motæ*, L. III. Morb. Chron. Cap. 4. Sed de his cucurbitis κȣφαις, ſive levibus, vid. quæ notat Almeloveenius, in Notis, ad Cæl. Aurel. p. 612. Ceterum Aretæus, Hippocrates, Galenus, Celſus, Theodorus Priſcianus, aliique plures cucurbitis plurimum tribuunt in pleuritide; omne vero Alexander Trallianus, cujus en ipſa verba, ex Lib. VII. C. I. καὶ τȣτȣ γενομένȣ, θαυμάσαι ἐτί, πῶς παρ᾽ αὐτά καὶ ἡ ὀδύνη ὁποία ἂν εἴη; εἰ καὶ σφοδροτάτη, παύεται, ὡ μὴ δεηθῆναι μήτε πυρίας, μήτε ἄλλȣ βοηθήματος *Hoc facto* (nempe admotis poſt ſcarificationem cucurbitulis,) *mirari licet, quomodo inde etiam dolor, qualiſcunque fuerit, licet vehementiſſimus, conquieverit, ut neque fomento, neque alio præſidio indiguerit.* Quod verum quidem ex parte, ut & ipſi aliquoties obſervavimus, uti etiam ſupra in tranſitu quaſi, monuimus.

(q) Videtur ille rubus hic intelligi debere, qui Theophraſto Ereſio, Lib. III. Hiſt. Plant. Cap. 18. βάτος ὀρθοφυὴς καὶ ὕψος ἔχον, *erectus & altitudinem habens*, vocatur: alias de hac *agreſti celſa* nihil me legere memini: Inde mihi potius vulgare & populare nomen videtur, ut infra L. II. de Morb. Chron. Cap. I. p. 355. *Squilla, quam vulgo vulum pluvioſum vocant*, quod monſtrum vocis emendare tentat per *bulbum prurioſum*, Thom. Reineſius, Lib. III. Var. Lect. Cap. 18. pag. 664. & ex eo Almeloveenius in Notis ad Cæl. Aurel. p. 639. Sed hoc obiter.

autem, & cucurbitæ scarificatione, cum doloris fuerit dimissio.

At si solutus fuerit aut levigatus dolor, ut ordinem accessionum servans; magnitudine tamen minutus esse videatur, urgente etiam solutione, unctione utemur supradicta, apponentes palmulas, quas (*r*) patetos vocant contritas, & cum pannis calidis.

Potum dabimus calidum quidem; sed omnino paucissimum, ut neque liquore plurimo sputorum, vel ventris augeatur defluxio, & tepore quodam tumentia mitigentur. Omne etenim frigus tussiculam commovet.

Deinde dabitur pulticula, sed constrictior: vel panis ex aqua calida, diligenti infusione atque innova-

(*r*) Ita & infra, Cap. 37. hujus Libri II. *Palmulas, quas Græci patetos vocant*; quod idem Almeloveenius, in Not. pag. 620. temere mutabat in *caryotas*, oblitus forte hujus loci, quem tamen laudat in Lexico Cæliano, pag. 690. Sed & Scribonius Largus meminit harum palmularum pateton; immo ipse Plinius, Lib. XIII. Cap. 4. *Tertium ex his palmulis genus Pateton, nimio liquore abundat: rumpitque se pomi ipsius, etiam in sua matre ebrietas, calcatis similis*. Scilicet vocabantur φοίνικες πατητοὶ, ἀπὸ τοῦ πατεῖν, a *calcando*, ob rationem, quam hic reddit Plinius, & uberius explicat Joan. Bodæus a Stapel. ad Theophrast. Eres. Hist. Plant. Lib. II. Cap. 8. p. 106. ubi accurate satis & distincte de his palmulis patetis agit, ut & Salmasius in Exercitat. Plinian. pag. 932. qui tamen, dum Plinium in etymologia vocis lapsum esse contendit, ipse graviter labitur; his adde Harduinum, ad laudatum modo locum Plinianum; nullus tamen horum Triumvirorum, de his locis Cælianis aliquid indicavit: meminere autem apte Galeni & Allexandri Tralliani, qui φοινίκων πατητῶν fecerunt mentionem, ille quidem Lib. X. de Meth. Med. Cap. 9. & Lib. IV. de Cibis boni & mali succi. Hi autem bis, Lib. VII. Cap. 7. p. m. 336. Huc forte & Hesychius, πατηταὶ, τραπηταὶ, scil. βάλανοι aut σαφυλαὶ, infra enim τραπητὸς, ὁ οἶνος. Sed ego nihil hic definio, quia obscurum. Conf. Des. Herald. ad Martial. p. 138. & Commentat. ad Caton. & Columell. de R. R.

vatione calidæ elutus, & expreſſus, ut ſuæ denſitatis opoſitu (s) elenteſcat.

At ſi jugi vexatione tuſſiculæ, atque conatu frequenti ruptio venulæ ſanguinem per os emitti coegerit; dabimus plantaginem dimiſſionis tempore, oleris vice mandendam. Etenim in acceſſione omne quod datum fuerit, (t) corrumpi atque aceſcere neceſſe eſt, olera præcipue.

Dabimus etiam decoctorum aquam Cydoniorum.

At ſi in ipſa acceſſione id facere coacti ſumus, inſiſtente periculo dabimus poſcam. Tunc in dimiſſione cibum: ut liquori ſoliditas accedat.

Alicam ex aqua calida, in qua fuerint præcoctæ palmulæ Thebaicæ, vel mala Cydonia, ut eorum frigore ſanguinis fluor teneatur; fervore juſculi tuſſicula leniatur.

Erit præterea, ſi vires ægrotantis permiſerint, alternis diebus dandus cibus, donec paſſio declinet. At ſi imbecillitas coegerit, etiam ante declinationis tempus erit quotidie nutriendus ægrotans.

In

(s) Hoc eſt, diluatur, in liquidum juſculum diſſolvatur, & in tractuoſum quaſi & pingue liquamen abeat, ut bene in margine explicatur. Ita noſter Cælius ſupra Lib. I. Cap. 17. de Morb. Acut. *Ejus ſolida, quadam dimiſſione lenteſcere, & in liquida migrando, deperire.* Nempe ita voces *Lentus*, *Lentor* & *Lenteſcere* Latinis eleganter ſumi ſolere, poſt Nonium Marcell. p. 337. egregie docet Iſ. Voſſius in aureo Commentario ad Catull. pag. 212. ſeqq. cui adde Mureti Var. Lect. Lib. III. Cap. 18. & Cel. Burmann. ad Petron. Cap. XXVI. p. 89.

(t) *Hanc ob rationem Methodici in morborum acceſſionibus, ſive exacerbationibus tanquam otioſi ſpectatores nihil fere agebant, niſi ſumma neceſſitate coacti. Utinam & hodie magis id obſervaretur.* Ita Ammanus in ſubjecta Nota. Sapienter per Deum! & egregie, in hac enim obſervatione magnum, immo maximum, felicis curationis negotium omnino ſitum eſt. Inde ipſe noſter Hippocratis, Aph. 19. Sect. I. ſapientiſſime: *Τοῖσιν ἐν τῇσι περιόδοισι παροξυνομένοισι μηδὲν διδόναι, μηδ' ἀναγκάζειν, ἀλλ' ἀφαιρέειν τῶν προσθέ-*

In statu vero mitescentibus atque (*u*) segnescentibus sputis, & nullis irruentibus novis saniosæ qualitatis, sine ventris fluore, convenit post cataplasmata atque vaporationem, ante cibum, dare bibendum mulsum, diebus duobus, vel tribus.

Etenim tussiculam mitigat, & spirationem facilem facit, liquidorum tenacitatem laxat, & eas partes, ex quibus sputa feruntur, depurgat.

Cibum præterea dabimus sorbilem ex melle: atque halicam, vel silignis panem & amylum, aut ptisanam, aut panem ex mulso, aut ovum *ἁπαλόν*. (*vv*)

σθίεσιον πρὸ τῶν κείσιων; ubi tamen pro vulgato *ἀναγκάζειν*, legere mallem, *ἀνακομίζειν*, hoc est *cibo reficere, refocillare*, voce Hippocrati familiari, ut in Oeconomia observavit Fœsius. Sed hoc saluberrimum præceptum sæpius alibi repetit Hippocrates, ut Aph. 4. & 10. Sect. I. & infinitis locis aliis: conf. Celf. Lib. III. cap. 2. 4. 5. & 6.

(*u*) Malui aliquando legere *senescentibus*, quomodo sic sæpius elegantius loquuntur probati Auctores veteres. Sic Cicero, *morbi senescentis remissio*, *senescentes vires*, Sallustius, *senescens spiritus*, Plinius junior, *senescentes fici*, *Smaragdi*, *Caseus* & *senescentia prata* Plinius alter, *senescens succus*, Palladius, & *senescens fama*, Tacitus, omitto enim alia innumera. Inde & Hesychius, *γηράσκει*, *φθίνει*, *λήγει*. Conf. Gronov. ad Senecæ Nat. Quæst. L. III. p. 318. Sed quoniam Noster & infra, Cap. 19. hujus Libri, *sputorum segniorum* meminit; nihil prorsus immutare ausim, imprimis quum sensus in utraque lectione unus idemque sit.

(*vv*) Horum ovorum *ἁπαλῶν* mox in hoc ipso Capite & alibi aliquoties meminit item Theodorus Priscianus, Scribonius Margus, Marcellus aliique, quos laudat Almeloveenius, in Notis ad Cæl. Aurelian. pag. 641. & ad Celf. pag. 565. add. Casaub. ad Athen. Lib. II. Cap. 16. p. 117. & inprimis Nonnius, de Re cibaria. Huc Dioscorides, Lib. II. Cap. 54. *ὠὸν τὸ ἁπαλὸν τροφιμώτερον τοῦ ῥοφητοῦ, καὶ τοῦ ἁπαλοῦ τὸ σκληρόν*, ubi vid. Saracen. in Schol. p. 31. Ceterum Aretæus Lib. I. Acut. Morb. Cap. 10. pag. 91. Pleuriticis revalescentibus suadet *τῶν ἀρτιτόκων ὠῶν δοθῆναι ἐκ πυρὸς ἀπύρων*, *ova recens a matre edita igne ca-*

Declinante paſſione, ſi aliqua fuerit ſputorum difficultas, ob debilitatem virium, vel liquidorum craſſitudinem, erit fœnugræci ſuccus admiſcendus melli, hoc genere confectus.

Duobus diebus erit fœnugræci ſemen infundendum; ſed frequenti mutatione aqua innovanda, præfuſa ſcilicet anteriore.

Tunc donec color vireſcat, aqua coquenda, & eliquata admixto melle, ægro ſupra dicta moderatione bibenda.

Poteſt etiam ipſum fœnu græci ſemen tritum cum melle lambere: vel lini ſemen aſſatum, melli admixtum: vel vitellum ovi aſſati, (*x*) nucleis recentibus

---

calentia, igne tamen carentia; Eleganti nempe antitheſi aut oxymoro; ut in ſcholis loquuntur, quo frequentius Noſter more Jonum, delectatur, ſic infra Lib. II. Acut. Cap. 11. pag. 113. *τροφαὶ ἄτροφοι* dixit, ubi vid. Petit. pag. 265. nempe ut *τροφὴ ȣ̓ τροφὴ* & *γλυκὺ ȣ̓ γλυκὺ* apud Hippocr. Lib. de Aliment. ita *παῖδες ἄπαιδες*, *γόνος ἄγονος*, *πόλις ἄολις*, *βιος ἀβίωτος*, *λόγος ἄλογος*, *φιλος ἄφιλος*, *πλȣ̃τος ἄπλȣτος*, *ξένος ἄξενος*, *μέτρον ἄμετρον*, *νύμφη ἄνυμφος*, *παρθένος ἀπάρθενος*, immo *πῦρ ὤπυρον* eſt apud Philonem Jud. de igne cœleſti, & alia talia infinita *καὶ ὡσεί κονις*, quorum oxymororum ingentem nubem producit Ritterſhuſius ad Oppian. Lib. I. Cyneget. p. 29. ſeqq. & Scipio Gentil. Lib. I. parerg. p. 15. ut de Voſſio, Paſſeratio & Eraſmo nihil dicam. Igitur non erat, quod Petitus laudatum Aretæi locum de mendo ſuſpectum haberet, in doctiſſimo Comment. p. 244. *ὠὰ* enim *ἐκ πυρός ἄπυρα*, ſunt ova nativo matris gallinæ calore prædita, nullo vero culinari aut violento igne percocta, ipſe enim mox illud *ἐξ πυρὸς* ſcite explicat per *τὴν τῆς μητρὸς θέρμην*. Nihil ergo in Aretæo mutandum, niſi quis legere mallet *ἐκ πυρὸς ἀπύρȣ* concinniore nempe figura & antitheſi. Sed hæc obiter tantum, & aliud quaſi agendo.

(*x*) Nuces pineas haud dubie intelligit hic per nucleos, quæ *κατ᾽ ἐξοχὴν* ita olim vocabantur, ut ex Plinio, Theodoro Priſciano, Apicio & aliis conſtat; quomodo nempe Græci nucleum pineum appellant *κόκκαλον* eademque figura. Galen. in Exegeſi Hippocratica: *Κόκκαλον· οἱ μὲν πλεῖ-*

ςοι

tibus contritum, atque decocto melli admixtum: vel simul omnia: admixtis etiam amaris amygdalis.

Tunc convenit vario jam cibo ægrotantem reficere, pultibus, ovis ἁπαλοῖς, vel cerebro porcino, aut hœdino, aut agnino, coctis cum sale modico, vel pede porcino in ptisana decocto, aut molli gallinaceo pullo, vel columbinaceo.

Tunc post tres vel quatuor dies, solutis febribus, adhibendum lavacrum: sed avino temperandum.

Illis quoque partibus, quæ dolore tanguntur, ceratoria ponenda ex oleo dulci, vel cyprino, confecta, admixto fœnugræci polline, vel meliloto tuso, atque creto, admixtis etiam adipibus.

Utendum quoque medicamine, quod (y) diatessaron vocant; cera, resina terebinthina, Iri Illyrica, pice æquis ponderibus.

De-

στοι τὴν πυρῆνα τῦ στροάλυ. Hesychius: Κόκκαλος, στρόμβος, στρόβιλος, πεύκη, ita enim legendum; non στρόβιλος πεύκης ut Salmasius quidem malebat: infra enim in Στρόβιλος legitur, ἢ ὑ μίτυς, ἢ ὁ κα πὸς ἀυτῖς, ita nempe & κόκκαλος quod idem ac στρόβιλος & pineus nucleus est, & pinus ipsa, sed hæc obiter. Ceterum κόκκαλον Hippocratis, Galeni, Aretæi & aliorum idem esse, ac Latinorum nucleum, seu nucem pineam, præclare & fuse ostendunt Petr. Petitus in Comment. in Aretæ. pag. 245. Fœsius in Oeconomia Hippocratis, pag. 210. Gabr. Humelbergius ad Apicii Lib. I. Cap. 13. p. 49. b. cum recentioribus Commentatoribus, Salmasius, in Exercitat. Plin. p.160. & alibi, & Jo. Bod. a Stapel ad Theophrast. Lib. III. cap. 10. p. 168. add. Gorræ. in Definit. Med. voce κόκκαλος. Nucleos autem pineos contritos & melle commistos optimum esse eclegma bechicum seu linctum tussicularem & pulmonarium, adeo tralatitium est, ut id probare multis velle, ridiculum omnino sit. Vid. Hippocr. de Victu Acut. §. LIII. & alibi, Plin. Lib. XV. Cap. 10. Mercurial. de Arte Gymn. Lib. I. Cap. 1. p. 3. & Spon. in Aphoris. Nov. Hipp. Sect. V. p. 354. &c. Hinc & Medicus apud Martial. Epigr. 87. Lib. XI. tussientibus *mella dari nucleosque jubet*, ubi vid. Comment. inprimis Rader.

(y) Meminere hujus medicaminis Aetius, Paullus Aegineta, Galenus & alii.

Dehinc poſt diem unum, vel duos, adhibendum lavacrum, & dandum vinum, apponendum malagma, quod diachylon vocant, vel dia Mannæ. *(z)*

Hæc ratio ſecundum Soranum, curationis: antiquorum vero Eraſiſtratus & Herophilus de pleuriticis nihil dixerunt.



THEO-

(z) Et hujus malagmatis *Diamanna* mentio apud Veteres; ſed rarius omnino, occurrit. Aliam confectionem *Diamanna* dictam deſcribit doctiſſimus Langius, Lib. III. Epiſt. Med. p. 736. Sed hæc nihil ad hoc malagma Cælianum.

THEODORUS PRISCIANUS ARCHIATRUS.

L I B. II.

SIVE LOGICI, (a)

CAPUT IV.

De Pleuriticis.

PLEURITICORUM hæc eſt certiſſima Definitio: (b) Do-

(a) Quæſitum eſt ab Eruditorum haud paucis, quamobrem Theodorus Noſter hunc ſuum ſecundum Librum medicinalem inſcripſerit *Logicum*, qui nempe nihil aliud cogitabant, quam notiſſimam illam philoſophiæ partem, quæ vulgo nuncupatur λογικὴ ſive *Logica*. Paucis igitur hoc dubium hac data occaſione, in tranſcurſu quaſi, expediam. Nimirum Morbi ex Hippocratis accurata diſtinctione, duplices ſunt, vel ἄδηλοι, vel εὔδηλοι, item εὔοπτοι, vel δυσόρατοι, vel, ut loquendi more Cæliano exprimam, vel ὀφθαλμοθεώρητοι, vel λογοθεώρητοι, h. e. nunc *patentes*, nunc *latentes*, ſive ut Cato Cap. CXLI. de Re Ruſt. ſcite loquitur, aut *viſi*, aut *inviſi*. Patentes igitur ſive conſpicui in externa duntaxat corporis ſuperficie hærent; latentes vero in intima ejuſdem viſcera penetrant parteſque ſolidas fluidaſque reconditas infeſtant; ſoloque ratiocinio & rationali experientia detegi & detergi ſive curari poſſunt; quod ſane difficillimum, & præcipuum Medici artificium. Inde recte Onoſander in Strategico. Cap. I. 10. dixit, τὰ ἀόρατα νοσήματα τῶν ὁρωμένων δυσχερεστέραν ἔχει τὴν θεραπείαν Sed præſtat nunc ipſum Hippocratis locum ſupra laudatum hunc adſcribere e Lib. de Arte, §. XVI. Τὰ μὲν πρὸς τὰ ἐντὸς τετραμμένα νοσήματα ἐν δυσόπτῳ, τὰ δ' ἐξανθεῦντα ἐς τὴν χροιὴν, ἢ οἰδαίνοντα, ἐν εὐδήλῳ, κ. τ. λ. vid. ibi plura: Hoc eſt: *Morbi, qui ad interna convertuntur, obſcuri & inviſi ſunt; qui vero ad corporis ſuperficiem erumpunt, aut tumeſcunt, manifeſti & conſpicui ſunt.* Quum igitur Noſter priore Libro morbos mere externos ſenſibuſque obvios

(*b*) Dolore (*bb*) insustentabili & perseveranti circa inte-

---

vios percensuisset; hoc altero contra morbos intus latentes & solo ratiocinio assequendos, distinguendos & curandos diligenter pertractat; Inde ergo Nominis *Logici* ratio certissima, quam ipse ita tradit sub primordio Libri hujus, his quidem verbis: *Nunc secundi operis partes adgrediar, quibus prodendæ discutiendæque rationis delegavimus functionem: quæ quoniam oculis comprehendi non potest, quod officium Liber superior occupavit; Idcirco passiones interiora possidentes in hoc volumine aut accidentibus convincentur; aut prodentur indiciis.* Sed hæc jam sufficiant.

(*b*) Immo certissima hæc est Definitio & longe adhuc melior & accuratior altera illa Sorani superius ad Cælium Aurelianum laudata.

(*bb*) Ita & Cælium Aurelianum loquutum fuisse, supra vidimus; sed & Cælium Firmianum, sive Lactantium, idem dixisse, ibidem quoque monitum. Sic nempe hic Cap. 49. de Mort. perscut. de detestabili mortis genere Maximini scripserat: *Jam sævire in eum cœperat virus, cujus vis cum præcordia ejus ureret, insustentabili dolore usque ad rabiem mentis elatus est.* Qui locus alium similem fere in memoriam revocat mihi supra Cap. 33. ejusdem Libri, ubi de teterrimo morbo Syllano sive tyrannico, hoc est verminoso Maximiani Galerii sermo est: *Comestur a vermibus, & in putredinem corpus cum intolerandis doloribus solvitur.* Præcesserunt nempe verba: *Non desinunt tamen infelices medici, vel sine spe vincendi mali, fovere, curare repercussis medullis, malum recidit introrsus, & interna comprehendit.* Ubi forsan melius legendum fuerit, *Repercussum medellis* (sive medelis, quod idem) *malum recidit introrsus.* Quomodo nempe infra dicto Cap. 49. legitur, *veneni vis referto stomacho repercussa*, & apud Cæl. Aurel. *repercussibilis usus*, & *aeris irruentis repercussus. Medellis* vero pro medelis ἀρχαϊκῶς nostrum scripsisse, patet e Cap. 45. Epitom. Instit. ubi vid. Cl. Bunemann. de Lactantio omnium optime meritum. Sed & sequens mox locus ibidem valde πεπλημάχητος, *inferior corporis pars sine ulla pedum forma, in utrium modum inflata discreverat*, pace doctissimorum com-

com-

interiora lateris afficiuntur, febribus æque acutis minime desistentibus, Tussi molestissima, & sputamentis variis effluentibus: super quod latus jacere se tolerabilius asseverant.

Compresso etenim loco dolente, ad saniores partes demigrans pressa materia, in tempore locis languentibus moderatur.

Febrium itaque temporibus servientes, adjutoria & cibos congruos adhibemus.

Cubiculum procurabo calidum & lucidum. (*c*)

Melicratum ex (*d*) Hymettio & despumato melle suggeram omni ægritudinis tempore ministrandum. Interea si minacia nos augmenta terruerint, retractan-

---

mentatorum, ita mihi refingendus videtur: *in utrium modum inflata descriverat*, vel *discesserat*; notissima eleganti phrasi: Probe equidem scio, hæc proprie haud esse hujus loci; veniam tamen mihi daturum spero Lectorem, hac occasione sponte oblata sic opportune uso.

(*c*) Consentit supra idem Cælius Aurel. Cap. 18. acut. pass. Lib. II. *jacere pleuriticos convenit loco lucido atque calido, & mediocriter amplo.* Uterque vero ex Hippocrate.

(*d*) Id est, *Attico, cujus in toto orbe summa laus existimatur*, ut ait Plinius Lib. XXI. Cap. 10. *Hymettus* enim, ut notum, mons est Atticæ, qui optimum Mel producebat, ὁ γὰρ Ὑμηττὸς μέλι ἄριστον ποιεῖν inquit Strabo, Lib. IX. p. 461. & Discorid. Lib. II. Cap. 101. Inde *Hymettia mella* apud Horatium & Martialem, quin & in proverbium abierunt, unde *Hypatæum mel*, quod apud Apulej. Lib. I. Met. p. 104. vulgo legitur, mutandum forte in *Hymettium Mel*, inprimis cum ibi Vett. Codd. mirum varient, observante doctissimo Elmenhorstio, in Emendat. & Observat. p. 126. Eadem autem vox majore adhuc veri specie reddenda videtur facetissimo Luciano, in cujus εὐχαῖς, sive Votis, p. 502. Tom. II. opp. Edit. Græv. hæc recensentur Adimanti vota haud prorsus inepta, Τάριχος ἐξ Ἰβηρίας, οἶνος ἐξ Ἰταλίας, ἔλαιον δὲ ἐξ Ἰβηρίας καὶ τοῦτο, μέλι δὲ ἡμέτερον. Nempe legendum potius crediderim, Μέλι δὲ Ὑμήττιον, quomodo supra pag. 315. in Rhetor. præcept. Suavidico oratori tri-

ſtantes ægrotantis ætatem, (*dd*) temporis qualitatem, provinciarum naturam, intra tertium diem phlebotomo nos ſubvenire convenit.

Item ventris officium provocandum eſt, aut balano ſupponendo, aut clyſtere ſimpliciore.

Lateri vero dolenti ex oleo ſamſucino calido fomentum adhibeo: & ejus ſamſuci pulvere, vel rutæ ſiccæ, loca affatim aſpergo dolentia. Poſt vero ſucidas aut ſulfuratas calefeсtas lanas appono.

Variis & frequentibus ceteris vaporibus loca mitigabo: ut aliquando ſacellis ex (*e*) Cantabro, aliquan-

---

tribuerat *ϛόμα Τ' μηττιον*. Miror vero Cl. Grævium hoc perquam obvium haud obſervaſſe. Sed hoc obiter.

(*dd*) Scilicet ex ſapientiſſimo Hippocratis præcepto, Aph. 2. Sect. I. *ἐπιβλέπειν δεῖ καὶ χώρην, καὶ ὥρην, καὶ ἡλικίην, καὶ νούσους*. Conf. Lib. I. de Diæt. & alibi. *χώρας γὰρ καὶ καιροὺς, καὶ ἡλικίας, καὶ ὥρας, καὶ τὰ τοιαῦτα ὁ ἰατρὸς ἐπισκέψεται*, recte inquit Gregorius Nazianzen. Orat. I. pag. 9. *Refert enim, qualis morbus ſit, quale corpus, quale cœlum, quæ ætas, quod tempus anni*: ut præclare poſt Hippocratem, monet Celſus, Lib. III. C. 4. & alibi ſæpius.

(*e*) Idem habet Cælius Aurel. Cap. 19. Lib. II. Acut. Morb. p. 124. *Utendum Cantabro eodem genere* (nempe Sacello incluſo,) *fervefacto*. Uterque vero hoc hauſit ex Hippocratis fonte, Lib. de Vict. Acut. §. XI. unde ſimul diſcitur, quid ſit *Cantabrum*, in græco enim eſt *πίτυρα*, ſive furfures. *Cantabrum* enim apud hunc noſtrum Priſcianum, Cælium & Apicium aliquoties occurrens, pro furfure triticea aut hordeaceo accipiendum eſſe, egregie docet Adr. Turnebus, Lib. XV. Adverſar. Cap. 16. Humelbergius ad Apicium, Du Cange in Gloſſ. Med. & Inf. Lat. & inprimis Pignorius de Servis, pag. 521. ſeqq. cujus locum cum aliis allegat Almeloveenius in Notis ad Cæl. Aurel. p. 616. Inſoliti vero Nominis *Cantabri* originatio, ex quorundam Doctorum ſententia, ab aſpera & feroci gente Cantabrica petita videtur, vel ſordido pane furfuraceo ſe ipſam paſcente, vel ab Romanis demum ægræ ſubacta in contumeliam & vindictam, canum ad inſtar, furfuribus paſta, quæ tamen ſine Auctore ita perhibentur. Unum his adjicere liceat.

quando ex milio, vel salibus calefactis, aliquando oleo supradicto samsucino vel rutato adjecto in vesicam vaporamus.

Adhi-

---

ceat. Vegetius, Lib. III. de Arte Veterin. Cap. 57. p. 1140 jumento strophoso, quod ventrem facere nequit, *succum Cantabricum, in quo fuerint betæ malvæque decoctæ, per anum injiciendum* præcipit; quod ibi celeberrimus Gesnerus in Lexico Rustico, forte de herba Cantabrica intelligendum censet, cujus bis meminit Plinius, sed ut raræ, pretiosæ, nec in hunc sordidum vilemque usum natæ. Igitur, quod pace Nobilissimi nobisque amicissimi Viri dictum esto, & in hoc Vegetiano loco *succus Cantabricus* nihil est aliud, quam succus e furfuribus coctis expressus, quo in clysmatibus & injectionibus parandis & olim frequentissime utebantur Medici, & etiamnum plurimum utuntur recentiores, præsertim in Galliis, ut notum. Ita ipse noster Hippocrates Lib. VII. Epidem. p. 857. Alcmani misere affecto clysma injici jussit, ἀπὸ πιτύρων, *de furfuribus*, magno cum levamine: & Aetius Amidenus, Lib. III. Cap. 159. p. 61. ita de hujus clysmatis furfuracei virtutibus scribit: πιτύρων δὲ χυλὰς, πυρετοῖς καταξήροις, καὶ κωλικαῖς ὀδύναις, καὶ ἑλκώσεσιν ἐντέρων, ἁρμόδιος, ῥύπτει γὰρ ἄνευ δήξεως. Ubi πιτύρων χυλὸς idem est, ac apud Vegetium, *succus cantabricus*, vel *decoctio Cantabri*, aut *Cantabri lotura*, apud Cæl. Aurel. p. 381. & 243. quem Aetius æquæ, ac Vegetius, contra κωλικὰς ὀδύνας, sive strophos ac tormina commendat. Idem ille Lib. V. Cap. 69. p. 84. de κλυστῆρι παοτέρω; οἷον ἀφεψήματι πιτύρον, loquitur, & Lib. VI. Cap. 10. p. 103. Clysteris Posidonii meminit διὰ πιτύρων χυλῶν, ut alia fere innumera jam prætercam apud ipsum, ut & Galenum aliosque de hac re crebro obvia. Apsyrtus quoque aliique Hippiatri] commendant sæpius τὰ πίτυρα, καὶ ἐκ πιτύρων κλύσματα. Quomodo vero hic succus Cantabricus coqui & parari debeat, priusquam clysma ingrediatur; docet præter alios Philippus Menzelius, Medicus Ingolstadiensis olim doctissimus, cujus locum laudat Almeloveenius ex Pignorio, in Notis ad Cæl. Aurel. p. 616. qui & ibid. p. 627. de *saccellis* videri debet ex Reinesii Var. Lect. Lib. III. Cap. 4. p. 391. cui add. Herald. ad Martial. p. 105. Sed de his hactenus: fere enim modum excessimus.

Adhibemus etiam Ventoſarum ſuis temporibus aptiſſimum adjutorium.

Perſeverantibus vero doloribus, etiam cataplaſmata, (*e*) chalaſtica cum melle de ſeminibus ſuperaddo, detrahens ſpeciem fœnigræci; quod, ut expertus ſum, febrientibus caput ſemper dolore & inflammatione ſolicitat.

Cibos vero uſque ad ægritudinis digeſtionem, commodis temporibus matutinis, quam maxime ſorbiles & calidos miniſtrabo.

Tunc etenim etiam in perſeverantibus febribus, tempus ſive adjutorium, ſive ciborum, veteres Phyſici aptiſſimum aſſeveravere.

Semper etenim Naturæ certa ratione, (*f*) veſpertinæ horæ craſſioris aeris acceſſu, ægros animos ad triſtitias quaſdam adducunt, & veluti initia cogunt renaſci commotionum.

Addo

(*e*) Sunt Remedia tenſionem partium relaxantia & blande demulcendo & humectando, ſtricturas mitigantia, nempe *χαλαςικά*, *ἀπὸ τῦ χαλᾶν*. vid. Gorræus in Definit. med. hac voce &c. Emenda obiter Heſychium vehementer corruptum: *χαλᾶ* inquit, *χαλάσσει, καὶ πόδαι*. Legendum enim potius videtur: *μαλάσσει, ϗ πείθει*: ſupra enim dixerat: *Μαλθάσσειν, μαλάσσειν, πειθειν*. Sed penes Lectorem criticum eſto judicium. Multa vero frequenſque Chalaſticorum apud noſtrum Theodorum mentio. Sed & apud medicos græcos, & ipſum quoque Hippocratem, cujus loca miror Fœſio non fuiſſe obſervata.

(*f*) Nempe creſcentibus umbris; dieque in noctem vergente, morbos quoque increſcere vulnerumque dolores recrudeſcere, quotidiana experientia conſtanti tenore docuit docetque Medicos & Chirurgos: maxime vero id obſervatur in omnibus febribus, morbis ophthalmicis, rheumaticis, pulmonariis, & ſimilibus, immo in paſſionibus verminoſis, ſive ubi aſcarides & Lumbrici in corpore nidulantur. Hinc bene Hippocrates, ſlib. VI. Epidem. Sect. I. *πρὸς τὰς ἀρχὰς τῶς παροξυσμὼς σκέπτεσθαι, καὶ ἐν ἁπάσῃ τῆ νύσῳ οἷον τὸ ἐς δεὶ ἐς δείλην παροξύνεσθαι, (καὶ ὁ ἐνιαυτὸς) ἐς δείλην καὶ ἀι ἀκκαείδιες*, *circa initia exacerbationes conſide-*

Addo interea, quod facilius ægritudinem refrænabis, si per dies singulos semel tantummodo cibos adhibeas.

Sub hac igitur (*g*) Visitatione, si nec dum ægritudinis augmenta recesserint, diebus pluribus Melicrato, aut Hyssopo, aut Ruta viridi decocta, ex hoc frequenrer eos potabo.

Locis vero inpatienter dolentibus etiam scarificationes impono: Ita etenim frequenter ad Peripneumonicorum non permittitur æger vicina pervenire pericula.

Dolentes vero latus sine febribus, & ceteris accidentibus supradictis pleuriticorum remotis, quos jam non pleuriticos, sed latus dolentes, proprie appellabo, ex subjectis alia diligentia visitamus.

Piper, vel Cyminum, vel Castoreum, aut Rutam

I sic-

---

sidera, & in omni morbo, quale est ad vesperam, & ascarides; si locus quidem integer. Ita & supra Lib. II. Epid. initio, ὅμοιον τῷ δείλης παροξύνεσθαι, & clarius adhuc L. V. Epid. XIX. 11. ἤραγε ἐν πᾶσιν ἑλκυσμάσι καὶ τοῖσι περὶ ὀφθαλμὸν ἐς νύκτα ὁ πόνοι, *Profecto in omnibus suppurationibus & morbis ocularis dolores ad noctem exacerbantur*, quod infra Lib. VII. Epidem. XXX., 10. repetitum legitur. Inde in iisdem Epidemiorum Libris, de ægrotis sæpissime narratur, quod ipsis fuerit νὺξ δυσφόρος καὶ ἐπώδυνος, item νύκτα δυσφορως vel ἐπιπόνως εἶχε, vel ἤλγε, Cælius quoque Aur. Lib. II. Chron. 14. de phthisicis: *quum necessaria accessio vespertino tempore asperetur*, ut alia taceam alibi mihi jam notata. Recte vero singularem hanc mutationem & morborum sub vesperam insurgentia incrementa crassioris aeris vespertini accessui tribuit hic Theodorus Priscianus, quippe cujus graviore illapsu & externi artus & interna spirationis officina insolito quasi pondere, premuntur, unde acriores dolorum morsus subinde oriuntur.

(*g*) *Visitatio* & *Visitare*, peculiari prorsus, nec alibi facile obvio, sensu sumitur apud Nostrum, pro sedula diligentia in tractandis ægrotis, sive pro ipsa curatione; haud dubie, quia in assidua ægrorum visitatione primarium cor-

dati

ficcam terentes, Melicrato miscentes, potui damus. (*h*)

Oxy-

dati probique Medici consistit officium. Sic enim ipse noster præcipit Hippocrates Lib. περὶ εὐσχημοσύνης, §. X. ἐσόδῳ χρέω πυκνῶς, ἐπισκέπτεο ἐπιμελέστερον. *Ingressu utere frequenter, visita diligentius*, & Xenophon in OEconomic. meminit ἰατρȣ̃ ἐπισκοποȣ̃ντος τȣ̀ς κάμνοντας, *Medici ægrotos visitantis*. Ita mox in hoc ipso Capite, *Latus dolentes alia diligentia visitamus*, & supra Cap. I. *simplices has ægritudines sic visitare consuevimus*; item Cap. III. *Una est vitiorum caussa, eademque etiam visitandi diligentia esse debebit*. Cap. quoque XXXII. *Hydropici* vel *Cachectici simili sub diligentia visitantur*, sic & Lib. I. Cap. XXIII. *Hippocrates hac* (correptos igne sacro) *sententia visitavit*. Sed omitto in genus plura frequentius apud Nostrum sic occurrentia. Ceterum nihil hac de re in Laxicis nostris Latinis.

(*h*) Nimirum calida hæc spirituosa & penetrabilia remedia Noster hic bene commendat Latus dolentibus; non vero Pleuriticis, quos prudentissime & acutissime a se invicem hic separavit. Omnes enim pleuritici sunt latus quidem dolentes; non autem omnes latus dolentes contra sunt pleuritici. Datur etenim pleuritis serosa & catarrhalis a caussa frigida orta, datur etiam ingluviosa & ex nimia ciborum indigestabilium ingurgitatione prognata, de quibus sæpius jam supra nobis dictum. Hæ pleuritides nomine tantum sunt pleuritides; non vero re, quia febre acuta sputisque cruentis proprie carent, nec regulares crises observant; unde nec venæ sectione, nec medendi ratione refrigeratoria opus habent; sed alia potius diligentia methodoque contraria, nempe calefactoria, diaphoretica & carminativa sic dicta visitandæ sunt, ut cum Nostro Theodoro sic loquar. Quam tamen si quis veris pleuriticis & febre acuta correptis adhibere temere vellet, πῦρ ἐπὶ πῦρ, profecto additurus, καὶ κακὸν κακῷ curaturus esset, & ut in proverbio est; ita ut de misellorum ægrotorum ocissime sic jugulandorum, vita & salute haud dubie actum foret. Inde merito reprehendit Asclepiadem Cælius Aurelianus Lib. II. Cap. 22. acut. Morb. quod Rutam atque Hyssopum in pleuritide, scilicet acuta, ægrotis dari jusserit, quia nempe sint

vehe-

vehementius ardentia ob suæ qualitatis acrimoniam, ut Cælius ibi loquitur. Sed præstat nunc hæc dicta nostra verissima egregiis magnorum veterorum Medicorum testimoniis confirmare. Ita Igitur politissimus *καὶ ἰωνικώτατος* Aretæus, Lib. I. de acut. morb. Curat. Cap. ult. p. 93. Τοῖσι παλαιοτέροισι ἰδέη τὶς ξυνδρομῆς πλευρῖτις ἐπικλήσκετο, χολῆς ἐκκρίσιες, (ἐών) ξὺν πόνῳ πλευρῆ, ἐπὶ σμικρῷ, ἢ καὶ ἄνευ πυρετῶν. Τόδε μέντοι τὸ πάθος, ὄνομα μὲν πλευρίτιδος, τὸ δὲ πρῆγμα οὐκ ἴσχει. ἀλλὰ καὶ πνεῦμα κότε ξυνιςὰν ἐν πλευρῷ, δίψαν ἐνδιδοῖ, καὶ ὀδύνην πονηρήν, μαλθακήν τε θέρμην. Καὶ τότε ἐκάλεσαν ἄνδρες ἀΐδριες πλευρῖτιν. Hoc est: *Apud vetustiores medicos species quædam concursus pleuritis, seu lateralis morbus vocabatur, quum bilis esset excretio, cum dolore lateris, & exigua febre, vel etiam sine febre. Hujusmodi sane affectus nomen quidem pleuritidis, rem vero non obtinet: Quin etiam spiritus nonnumquam in latere conclusus sitim, dolorem pravum, mollemque caliditatem excitat: id quoque vitium ignari homines pleuritin nuncuparunt.* Sed luculentius atque longe accuratius adhuc hac de re Aetius Amidenus, Lib. VIII. Cap. 77. seu ult. p. 176. περὶ τῆς νομιζομένης πλευρίτιδος, μὴ οὔσης, ἐξ ἀπέπτων πλειόνων καὶ παχυχύμων ἐδεσμάτων καὶ φλεγματωδῶν, βολβῶν μάλιςα καὶ μυκήτων καὶ τῶν παραπλησίων, ὠμοὶ χυμοὶ καὶ γλίσχροι, κολλώδεις γενηθέντες ἐν τῷ σώματι, ἔςιν ὅτε αἰφνίδιον σύρρευσιν εἰς τὰ κενὰ τοῦ θώρακος, ἢ καὶ εἰς αὐτὸν πνεύμονα, καὶ τῷ πλήθει συνδιατείνοντες τὸν ὑπεζωκότα πλευρὰς ἔνδοθεν ὑμένα, ὀδύνας ἐπιφέρουσιν, ὡς φαντασίαν φλεγμονῆς ἐμποιεῖν τοῖς ἀπείροις, ἀλλὰ καὶ τὰς ὁδοὺς τοῦ πνεύματος ἀπολαμβάνοντες, δυσπνοίας περβαλλούσης αἴτιοι γίγνονται, καὶ τινὲς τῶν ἰατρῶν πλανώμενοι, τεμόντες τὴν ἐν ἀγκῶνι φλέβα, καὶ πλεῖςον αἷμα κενώσαντες, Θανάτου αἴτιοι γεγόνασι τῷ κάμνοντι. Id est ex nostra quidem versione extemporali: *De pleuritide opinabili, non vero re ipsa præsente. Ex plurimis ad concoquendum difficilibus & crassi succi eduliis, ut & pituitosis, bulbis maximo, & fungis similibusque, caudi, & viscidi atque glutinosi succi in corpore nati quandoque derepente in pectoris cava confluunt, aut etiam in ipsum pulmonem impetum faciunt, suoque pondere & copia succingentem intus costas membranam simul extendentes, dolores inferunt, ita ut quandam veluti veræ inflammationis imaginem imperitis repræsentare videantur. Sed & iidem ipsi spiritus vias intercipientes, enormis & intolerabilis respirandi difficultatis caussæ existunt, unde medicorum quidam in errorem adducti, hincque venam in*

Oxyporia (*i*) quoque adhibenda erunt. Item aco-

---

cubito secantes, plurimumque sanguinis evacuantes, egroti mortem sua culpa acceleraverunt. Sed ibi plura de hac mentita & imaginaria pleuritide, quam nos ingluviosam vel convivalem, sive rectius stomachicam, appellamus, quæ jam exscribere non vacat; mox & methodum eam feliciter curandi accurate & copiose subjungit, quæ ex clysmatibus, & meris remediis calidis, spirituosis, oxyporiis & flatus discutientibus consistit, eademque prorsus sunt remedia, ac ea, quæ hic laudavit noster Theodorus Priscianus, nempe Eclegma ἐκ κνίδης σπέρματος, ὑσσώπου, ἴρεως, στροβίλων, ἀμυγδάλων πικρῶν καὶ πεπέρεως; item ad potum Melicratum, in quo decocta sint ὕσσωπον, γλήχων, ἴρις, ἰσχάδες πλεῖσται, & similia. Sed satis jam de his, immo plus satis. Haud tamen hac commoda occasione præterire debebant, quia & non satis vulgo cognita, & superius in nostra Commentatione, nonnisi in transitu, & levi veluti brachio, attrectata fuerunt, quum tamen maximi omnino sint momenti, dum neglecta nec caute distincta modicum in truculentissimum errorem, ægrotum vero in ineluctabile vitæ discrimen adducere valent; *ubi enim semel recto deerratum est, in præceps pervenitur,* ut Vellejus loquitur.

(*i*) Ὀξύπορα vel ὀξυπόρεια, (utrumque enim in Libris Veterum occurrit), sunt liquimina ex melle, aceto, variisque generosis aromatis feminibusque calidis acribusque parata, nomen suum inde sortita, nempe ἀπ' ὀξείας πορείας, a vi valida atque penetrabili, quam corporibus illata illico exercent, dum omnes venas cryptasque citato cursu permeant; unde ipsis τὰ βραδύπορα tardigrada opponuntur ab Aetio; non autem ἀπό τοῦ ὄξους, sive ab aceto, ut putabat Salmasius cum aliis nonnullis, unde & per *acetaria* reddebat perperam, in Exercit. Plin. pag. 906. 927. & 932. Duplicis autem generis olim erant hæc oxyporia, vel culinaria scilicet aut convivalia, vel, medicinalia & salutaria, unde τὰ ὀξυπόρεια στομαχικὰ, σπληνικὰ, κεφαλικὰ, καθαρτικὰ, διουρητικὰ, σπερματοποιητικὰ, γαλακτοφόρα, ἀντίδοτα, & similia plura, in veterum græcorum Medicorum scriptis frequentissime occurrunt. Vid. præter alios, Aetium Lib. III.

(k) acopo calido commixto opobalsamo, aut gleucino, aut laurino, latus ipsum est perungendum & sticandum.

Quibus adhibitis, si nec dum dolor quieverit, super illam decoctionem, quam superius ordinavimus, (l) phlogmi Radicem aut capparis, admiscebo.

I 3 Dabo

Lib. III. Cap. 90. & 91. & Lib. V. Cap. 68. & Lib. VI. Cap. 10. Plin. Lib. XX. c. 23. & XXIV., &, immo ipsum Nostrum Priscianum infra Cap. XXIX. pag. 116. ubi oxyporii medicamentosi compositio enarratur. De oxyporiis autem luxuriosis & convivalibus tractant ex instituto Columella, Lib. XII. de Re Rust. Cap. 57. & Apicius, Lib. I. Cap. 32. ubi vid. Humelberg. in Notis, p. 64. & Lib. III. Cap. 18. aliique, confer huc Gorræi Definit. med. p. 340. imprimis vero Nonius de Re Cibaria, & Vvihelm. Stuckius, in Antiquitatibus convivalibus, ut alios plures taceam.

(k) Α'κοπα sunt remedia contra corporum lassitudinem & debilitatem reperta, quasi dicas, ἀντίκοπα, lassitudini, & labori opposita; de quibus pleni veterum medicorum Libri. Vid. laudatus modo Gorræus, p. 17. Fœs. in Oecon. Hippocratica, pag. 12. aliique plures.

(l) Vix mihi dubium superest, *Plogmi radicem* hic apud nostrum Theodorum idem esse, ac *phlomi radicem*, apud Cælium Aurel. Lib. II. Acut. pass. Cap. 22. quam magna cum circumspectione Asclepiades propinasse dicitur pleuriticis, *necere* inquiens; *radicem herbæ, quam Græci Phlomon vocant*, ut notat Cælius, & mox, *Phlomi herbæ radicem*, *tanquam naturæ noxiam reprobans*, *non recte semel adhiberi* ait, *ubi dolor coegerit*; Scribebatur & *flommos*; item *flommus*, ut ex Gariopontο aliisque patet, ex acuta quidem Emendatione Reinesiana, Lib. III. Var. Lect. Cap. 12. pag. 549. φλόμος enim item φλῶμος, ut Suidas & Aetius scribunt, & πλόμος, item φλογμός, ab una radice grammatica aut etymologica descendunt, nempe a φλέγω, quia scilicet hac herba lanuginosa, ἀντὶ ἐλλυχνίου pro ellychnio, seu filo candelæ, veteres usos fuisse constat. Vid. Hesych. in φλόμος & maxime in θρυαλλίς, Suidas, in φλῶμος, Dioscorides & Aetius locis mox allegandis; item Harpocration & alii; qua de re plura legenda in vasto Commentario Jo. Bod. Sta-

Dabo interea etiam antidota apta frequenter pleuriticis, superaddens samsuci pulverem, iisdem semper adjutoriis commodissima: Nam & emplastra vel malag-

---

Stapelii ad Theoprasti Hist. Plant. Lib. VII. Cap. 10. pag. 851. seqq. ubi de phlomis ex instituto tractatur. Inde enim, eodem notante, Verbascum & Lychnis Marcello Empir. vocata *Lucernaria*, nostratibus autem, *Candelaria*. Sed quamnam potissimum radicem hic per pholmon intellexerint Theodorus & Cælius, difficile immo pæne ἀδύνατον est. *Phlomos* enim hodie apud herbarios est Verbascum, sive Thapsus barbatus, cujus Radix nec medicinalis est, nec ita acris & aromatica aut viribus prævalida, ut eam hinc summa cum cautione sumendam tradiderit Asclepiades, aut pares cum Cappari virtutes habere posse scripserit Priscianus Noster, quod Botanicis notius est, quam ut hic a nobis doceatur. Igitur φλόμον veterum longe aliud fuisse latiusque patuisse, quam hodiernum φλόμον, veritati simillimum videtur; neque id mirum, septem enim phlomi species esse narrat Harpocration περὶ φυσικῶν δυνάμεων, apud Salmasium, in Exercitat. de Homonymis Hyles Iatricæ, Cap. LII. pag. 61. ubi plura de hac re. Scilicet Phlomon: Thapsum, Verbascum, Verbasculum Thryallida & Lychniden item Iridem & gladiosum, confundisse Veteres constat, inde Homonymia fœcunda errorum in re herbaria genetrix, ut idem Salmasius, Bauhinus, Boerhaavius, Bodæus a Stapel & alii sæpissime indignantes fatentur. Vid. postremum ad Theoprasti Hist. Plant. Lib. VI. p. 515. seqq. ut illustria rei herbariæ sidera, Rajum, Morisonum, Tournefortium & Rivinum jam taceam. Inter hos vero septem phlomi species una fuit, quæ φιλάνθρωπος vocabatur, alias ignota, quam non dubito, hanc ipsam herbam fuisse ab Aureliano & Theodoro nominatam. Eam ita paucis describit Aetius Amid. Lib. I. p. 23. b. Φλῶμος, ἢ φιλάνθρωπος ἔχει διαφορὰς τρεῖς, τῶν μὲν ἐν δύο ἡ ῥίζα, στρυφνή ἐστι, ὅθεν καὶ τοῖς ῥοώδεσι πάθεσιν ἀρηγει, διακλύζονται δὲ αὐτὴν τινές ἀφεψῶντες πρὸς ὀδόντων ἀλγήματα, τὰ δὲ φύλλα πασῶν διαφορητικῆς καὶ ῥυπτικῆς ἐστὶ δυνάμεως. Hoc est ex nostra quidem versione subitanea: *Phlomos aut Philanthropos tres habet differentias; Radix duorum acris & austera est, unde & in morbis rheumaticis & destillationibus, juvat: quidam*

etiam

lagmata his sæpissime profuerunt, ex rutæ foliis viridibus contritis, & axungia, & cetera quam plurima, quæ sibi quisque in tempore Caussæ probata & utilia esse cognoverit.

---

etiam eam coquentes dentes dolentes illa ad medelam, colluunt. Omnium autem harum plantarum folia diaphoreticam, purificantem & detergentem vim habent. Paullo plenius adhuc Dioscorides, Lib. IV. Cap. 104. Τῶν μὲν πρώτων δύο ῥίζα ϛυπτικὴ, ὅθεν διαῤῥοιζομένοις ὅσον ἀςράγαλος, σὺν οἴνω ὠφελίμος ἐν ποτῷ δίδοται. Τὸ δὲ ἀφέψημα αὐτῆς ῥήγμασι καὶ σπάσμασι καὶ θλάσμασι καὶ ἀηξὲ παλαιαῖς ἀρήγει, ὀδονταλγίας τε πραΰνει διακλυζόμενον. *Dum generum primo loco recensitorum Radix adstringit: proindeque alvi profluvio laborantibus ludicri tali magnitudine utiliter ex vino propinatur. Decoctum ruptis, convulsis contusis, & antiqua tussi auxiliatur: ac dentium quoque dolores collutione mitigat.* Describitur ergo hic phlomos, ut annodynum, bechicum & pectorale; nondum tamen adhuc liquet, qualisnam herba proprie fuerit, & quomodo hodie vocetur; forte, si conjecturæ levissimæ sit locus, fuerit Lychnis, ad phlomides quoque relata, olim, ut supra monui, (de quibus vid. τὸν πάνυ Boerrhaavium in Indice Plantarum Leidens. majore, Part. I. pag. 159. seqq.) quam *flammeam* vocat multaque præclara de radicis ejus efficacia recenset Plinius, Lib. XXI. Cap. 26. ubi vid. Harduin. & Boerhaave in Hist. Plant. Tom. I. p. 294. unde & monstrosa illa in Additamentis Dioscoridis, pag. 469. emendari posse videntur, οἱ δὲ φλόνον, Ρ'ωμαῖοι Βερβάσκλυμ, οἱ δὲ φηλιλαλὴ, in hunc nempe modum: οἱ δὲ φλῶμον, seu φλομον, Ρ'ωμαῖοι Βερβάσκυλυμ, οἱ δὲ φλάμμυλα sive φλαμμέολα, nempe *flammula* sive *flammeola*. *Flammeola* enim vel *flammula* φλογμοὶ, φλομίδες & φλόμοι vocabantur olim Lychnides & Irides, vel a colore florum flammeo & luteo aut rubro, vel a radicum virtute acri & caustica, vel ab usu Ellychniorum. vid. Salmas. de Homonym. Hil. Jatr. Cap. 29. p. 29. & Jo. Bod. a Stap. ad Theophr. p. 515. & Boerhaave, loc. modo laudato, p. 293. φερβάσκυλυμ, quoque in loco Neophyti Salmasio laudati, pro corruptissimo φυλυσκλυν, esse scribendum, vix dubitare licet, & mirum profecto est, acutissimum illum Criticum illud videre haud potuisse, ut ingenue quidem fatetur. Verum hic terminus esto,

FINIS.

INDEX I.

Auctorum Laudatorum, Notatorum & Emendatorum.

A

B.

Gel-

H

I

L

M

Nean-

N

O

P

Q

R

S

IN-

INDEX II.

RERUM PRÆCIPUARUM.

A

B

C

D

E

F

G

H

I

L

M

P

R

S

V

F I N I S.

DA-




DANIELIS VVILHELMI TRILLER

DISPUTATIO DE PLEURITIDE ÆSTIVA rarius occurrente,

Edita VVittebergæ 16. *Junii* 1752.

A FRIDERICO HENRICO KRIEGER.

PROŒMIUM.



Cutissimum illum morbum lateralem, quem vulgo græce Pleuritidem vocant, per omne fere anni tempus impune sævire, hincque parcius quidem primo frigidulo vere, frequentius autem horrido sordidoque autumno, omnium denique frequentissime gelido ac glaciali hieme miseros mortales subito invadere, fida constantique e xperientia adeo quidem cognitum ubique & exploratum est, ut de ista solida veritate nemo facile medicorum, sive veterum sive recentiorum, dubitare amplius audeat, ut ex eorum scriptis abunde

de patet. Quod vel ipso suo tristi exemplo uberius confirmat iste ingenio suo miserrimus Poeta *exul. l. 5. Trist eleg.* 13.

Perque dies multos lateris cruciatibus uror,
Sed quod non modico frigore læsit hiems.

Quorsum & istud forsan Euripidis spectet, & Tragœdia incerta apud summum virum Hugonem Grotium in Excerptis veterum Tragicorum & Comicorum *pag.* 431.

Λυκ. Ἡ παῖς νοσεῖ τε κἀπικινδύνως ἔχει.
Β. Πρὸς τοῦ; τίς αὐτὴν πημονὴ δαμάζεται;
Μῶν κρυμὸς αὐτῆς πλευρὰ γυμνάζει χολῆς.

Hoc est eodem viro maximo interprete felicissimo:

Lyc. *Non sine periclo filia ægrotat mea.*
B. *Quæ caussa? quale est, hanc quod afflictat, malum?*
An latera vexat frigus e bile excitum?

Sed luculentius adhuc ille facetiarum comicarum pater & princeps Aristophanes in Ecclesiazusis, seu Concionatricibus *p.* 736. quem insignem locum laudat quoque Suidas voce Κναφεῖς *tom.* 2. *pag.* 333. *edit. Kuster.*

Ἢν γὰρ παρέχωσι τοῖς δεομένοις οἱ κναφεῖς
χλαίνας, ἐπειδὰν πρῶτον ἥλιος τροπῇ,
Πλευρῖτις ἡμῶν οὐδὲν ἂν λάβοι ποτέ.

Si enim præbeant indigentibus fullones
Togas crassas, postquam primum solstitium hibernum advenerit,
Pleuritis nostrum neminem unquam invadet.

Neque sane id mirum: quum enim sæva pleuritis aeri inprimis gelido rigidoque, per citam nimis festinamque inspirationem, justo copiosius hausto intus & ingesto, funestam suam originem potissimum debeat, uti post complures alios Auctores, sua quoque frequentiore experientia affatim edoctus, liquido demonstravit Dn. Præses noster in libello suo cognito, de Pleuritide ejusque curatione, anno 1740. edito, cujus jam altera auctior longe atque ornatior editio prodiit: nemo non, opinor, caussam confestim videt, cur gelidioribus illis præsertim anni tempestatibus,

atroces Pleuritides tanto acrius inſurgant, tantoque effrænatius ubique dominentur.

Inde & contrario facile patebit, niſi fallor, ratio, quare arida fervidaque æſtate Pleuritis, ceu dira rigidi algoris progenies, ſævas ſuàs nocendi vires vel plane non exerat, vel rariſſime certe ſuſcitet, lateráque acuto quaſi telo perfodiat.

Hinc nulla fere apud priſcos Medicos græcos ac latinos Pleuritidis æſtivæ mentio fuit injecta. Sic enim aperte ſcribit Aretæus Medicus & arte, & facundia, & miro ſtili venuſtioris nitore prorſus inſignis lib. 1. de Morbis acutis c. 10. Φέρει δὲ τὴν νοῦσον πλευρῖτιν ὥραν μὲν, χειμὼν μάλιςα πάντων, δεύτερον φθινόπωρον, ἦρ δὲ ἧσσον, ἢν δήποτε ψυχρὸν γένοιτο Θέρος δὲ ἥκιςα. *Inter anni tempora hiems maxime morbi hujus pleuritici ferax eſt; ſecundo autumnus; ver vero minus, niſi interdum frigidum ſit; æſtas autem omnium minime.* Idem poſtea cenſuit Cœlius Aurelianus Siccenſis Afer, a ſolida potius doctrina & experientia medica, quam cultioris ſcribendi generis inaffectata puritate commendabilis, cujus in eumdem pene ſenſum hæc ipſa leguntur verba, lib. 2. celerum vel acutarum paſſionum c. 13. p. 111. *Frequentat pleuritis etiam hiberno magis, quam autumni tempore, quod hiemi vicinatur: æſtate vero difficulter occurrit*: ad quem Auctoris graviſſimi locum videndæ omnino ſunt Dn. Præſidis Notæ in Appendice ad dictum de Pleuritide tractatum, ubi conſueta illa pleuritidis tempora expenduntur. Silentibus ergo ſic de pleuritide æſtiva antiquis illis Medicis anteſignanis, primiſque in Arte noſtra ſalutari ducibus, quid inde quæſo mirum, ſi vel apud ipſos recentiores Auctores medicos aut nulla plane, aut vaga tantum dubia atque obſcura, item brevis admodum pleuritidis æſtivæ mentio rariſſime deprehendatur? Licet enim celeberrimus quondam VVedelius ſcripſerit in Diſſ. de pleuritide, Jenæ 1673. olim edita, cap. 4. *Hieme pleuritides fieri, Hippocrates lib. 3. Aph. 23. ait. Fiunt etiam autumno, vere autem & æſtate minus: neque tamen & hæc tempora penitus ſunt indemnia teſte experientia*: iſtam tamen, ad quam provocat,

cat, experientiam nullo, quod jure dolendum, lucu-lento aliquo & fide digno exemplo confirmavit. Immo & ipse summus cætera Medicorum Thomas Sydenham licet idem statuisse videatur, nullum tamen in tanta rerum practicarum copia, quod jure quis miratur, casum singularem, aut exemplum notatu vel maxime dignum in medium attulit, quo suæ non nihil probabili alias sententiæ munimentum aliquod circumponeret, aut solidam auctoritatem conciliaret. Sic enim gravissime pronunciat vir iste incomparabilis in aureo plane de omnis generis Febribus tractatu *sect. 6. c. 3. pag. 289. Hic morbus pleuritis, quo nec alius frequentior, nullo non tempore infestat; potissimum vero anno inter ver & æstatem ambigente. Nam per id temporis sanguis a nova solis vicinia excalefactus in effervescentias, & inordinatos motus effrænatius ruit.* Quam singularem viri immortalis sententiam, calculo suo adjecto adprobatam & laudatam, exinde repetiit medicus longe præstantissimus Theophilus Bonetus in Polyalthe seu Thesauro med. practico *tom. 2. lib. 3. cap. 10. p. 94.* ut plures jam alios studio taceam, qui tantum ducem sequuti, ac reverentia tam illustris nominis ducti idem passim tradiderunt, atque rem istam adhuc aliquanto ambiguam leviore quasi brachio attigerunt.

Sed ut omnia breviter strictimque nunc complectar, perpaucos equidem, quantum sciam, Auctores medicos reperire hucusque mihi licuit, qui pleuritidem illam æstivam, rarissime sane obviam, data nempe opera fideliter descripsissent, atque in brevi quasi tabella totam ejus imaginem vivam amplexi fuissent: quos inter tamen suo merito facile eminet Petrus Forestus, qui nempe *lib. 16. observat. medicinal. 29. 31. & 32. pag. 163.* trium singularium exemplorum ejusmodi insolitæ pleuritidis, per menses æstivos Junium, Julium & Augustum, quondam observatæ meminit: quale & apud Franciscum Joelem occurrit *libr. 3. Oper. med. sect. 2. p. 274.* pleuritidem quoque cum lethali angina conjunctam mense Junio ann. 1592. in sene quodam Jurisconsulto, strenuo alias potatore, vidit & descri-

psit

pſit Felix Platerus *lib. 2. Obſervat. med. p.* 391. Conſer &, ſi placet, Jo. Frid. Ortlobii Diſſertat. de pleuritide §. 13. Lipſiæ anno 1696. publicatam, docteque conſcriptam, ne paucos alios hic jam commemorem.

Quum igitur Cl. Dn. Præſes meus ſingularem ejuſmodi rariſſimumque omnino pleuritidis æſtivæ Caſum, diligenter olim ab ſe obſervatum, in adverſaria ſua medica ex more conſueto retuliſſet: modeſtis ipſum iteratiſque precibus adii, ut iſtum in publica quidem commoda evulgandi licentiam poteſtatemque mihi faceret. Nulla ergo interpoſita mora, honeſtæ meæ petitioni mox placide ſubſcripſit, mihique caſum iſtum notatu quidem digniſſimum, cum omnibus ac ſingulis ſuis circumſtantiis, in commune bonum divulgandum, lubenti animo conceſſit, quem proinde ſtatim hic infra, ipſius tamen verbis, Lectorum ut ſpes eſt pace, ſum relaturus. Summum autem Numen interea ſupplices imploramus, ut noſtro huic labori gratia ſua atque auxilio clementiſſime adeſſe velit, quo hæc ipſa noſtra Exercitatio academica conferat nonnihil ad artis noſtræ ſalutaris ampliora incrementa, atque multorum præſertim ægrotorum blanda ſolatia, dulciaque dolorum levamenta.

CASUS SINGULARIS

De Pleuritide Æſtiva anno 1740. obſervatus.



Aximopere quondam miratus fueram, vel ipſo adulto jam vere ſæviiſſe atrocem pleuritidem, ut ex Hiſtoria X. libelli noſtri de Pleuritide uberius conſtat: quamvis poſtea anno 1742. per integrum menſem Majum, juſto frigidiorem & horridiorem, plures mihi oblati fuerint pleuritici, ex quibus licet in ſummum vitæ diſcrimen, per ſævientis morbi atrocitatem, plerique eſſent adducti, nullus tamen per Dei gratiam morte occubuit.

Sed

Sed mirari nunc desii, ex quo mediis adeo æstatis caloribus ipsis eandem insurgere posse, nuper admodum fida experientia certius didici.

Licet enim pleuritidem æstate difficulter occurrere tradiderint Aretæus, Cælius Aurelianus, & veterum alii, pluresque recentiorum; nec me de æstiva pleuritide quidquam, in medicorum libris distinctius quidem & accuratius pertractatum, legisse meminerim, præter ea quæ parce de hoc argumento occurrunt apud Petrum Forestum, Franciscum Joelem, Gregor. Horstium, paucosque alios; verissima tamen his non obstantibus ea est quam jam propositurus sum, historia.

Ecquid vero mirum, morbos adeo ipsos ingenium mutare suum; quando ipsæ anni tempestates alienos & inconsuetos mores induunt?

Quem enim quæso fugit, annum illum 1739. gelidissima & pertinacissima hieme fuisse adeo insignem, ut & ipsum sequentis anni novum ver, non pro more solito gemmulis floridis cuncta depingeret, aut purpureo nitore prata vestiret, aut blando tepore lætum & amabile quidquam spiraret; sed potius crebro sordidarum nivium casu, & imbrium violentius fusorum lapsu horridum, atque deforme esset?

Ipso namque medio mense Majo acre gelu adeo usque inhorruit, ut & placidæ aquæ frigore mundo in crustas glaciales coirent. Non lætior vero aut mitior successit his æstas, quæ nomen tantum mentita, parum cæterum, aut nihil habuit ex fervida alias indole æstatis.

Rarissimi enim, per menses Junium atque Julium præsertim, blandi & temperati etesiarum flatus: quin potius aquilonum procellosorum, & austrorum nimbosorum horriferi stridores noctes diesque juxta impune tumultuati, illas quidem gelidissimas reddebant, hos vero tristes admodum atque inamœnos, acta inprimis aliquoties in terras cum imbribus grandine glomerata.

Unde & læta sata ubivis fere solito tardius exurgebant, ita ut hinc annonæ difficultatem, summamque

rei

rei frumentariæ inopiam merito extimescerent pallentes agricultores, & jamjam quasi vaticinarentur prudentiorum œconomorum plurimi.

Sed hæc quia cuivis nostrum, credo, notissima sunt, pluribus nunc persequi omnino piget: nunquam enim, spero, memori mente excidet plane sævissimæ illius hiemis mœsta memoria, jamdudum quippe fastis adeo ipsis diligenter inserta.

Quid igitur obsecro mirum, ut redeam unde digressus nonnihil fueram, quid inquam mirum, insolita & immutata quasi cæli annique facie, & morbos ipsos consuetum sibi morem adeo migrasse, ut & ipsa hinc pleuritis, prolatis veluti sævi sui imperii finibus, non contenta satis autumno, hieme, atque vere, vel in æstatem adeo ipsam effrænum impetum faceret, sicque miseros mortales liquido edoceret, nullam prorsus anni partem, si fata quidem velint inclementiora, a sua sævitia & detestabili nocendi arte tutam satis esse atque immunem, lethiferumque suum virus nec blando floridi veris tepore permulceri, nec acri æstatis fertilis fervore exuri, nec humida sordidi autumni aura dilui, nec denique penetrabili glacialis hiemis rigore obtundi penitus atque infringi posse? Sed de his quidem hactenus! Nunc ad ipsam sine ambage historiam.

Sartor quidam, vir 39. circiter annorum, temperiei cholericosanguineæ, procero & macilento nonnihil corpore, pectore alias infirmo, D. 18. mensis Julii anni 1740. post lætum prandium, animi reficiendi gratia, extra oppidum citatiore ut solebat gressu spatiatus, flantibus subinde ventis aliquantum gelidis, subito mox horrore, & acutissimo præsertim dextri lateris dolore, quasi maligno quodam sidere afflatus adeo usque præter opinionem affligatur, ut vix lentissimo gradu, inter difficillimos anhelitus, domum repetere valeat.

Quo facto statim arcessitur Chirurgus, qui cita suffocatione alias perituro, ut videbatur quidem, venam pertunderet, viamque salutis sic ferro quasi aperiret. Iste autem insanientis suæ sapientiæ, ut ita loquar,

solum consultus, medico perito inconsulto, dextri pedis venas percutit, & emissa aliqua tantum cruoris nigri quantitate, vulnus iterum obligat; de eventu cæterum securus, & nescio quæ magnifica pro more vane pollicitus. Tantum enim aberat, ut eo ipso generoso alias remedio sæva morbi vis frangeretur; ut potius eo acrius excandesceret, & per singulas fere horas vehementius insurgeret: unde nox inter acerbissimos cruciatus, & continuum anxiæ suffocationis metum misere consumta, ne levem quidem suavissimi somni gustum indulsit afflictissimo ægroto.

D. 19. igitur summo mane advocatus ego miserandum sane conspicio spectaculum: jacebat æger moribundo jam similis, in dorso resupinus, facie decolorata, lingua arida, scabra, albida, pulsu exili, tremulo, inæquali, sterno tumido atque elevato, & intercluso adeo spiritu, ut præ acerbissimis quidem doloribus nec animam libere reciprocare posset, multo minus tussire, aut sputorum quid commode emoliri valeret.

Alteram ergo venam ob nimiam jam virium jacturam incidere non ausus, nec satis adhuc de ipsa morbi præsentis indole instructus, mitissima potius atque tutissima remedia interna tentanda censui.

Præscripta sic mox pro usu interno mixtura nostra antipleuritica, ptisana hordeacea cum oxymelite, aliaque pauca, in ipso meo de pleuritide libello aliquoties jam laudata. Pro externo vero usu, oleum seminis lini calidum lateri dolenti frequentius affricare jussi: sub noctem quoque clysma refrigeratorium ex mero hordei decocto, melle, ovi vitello, & nitro commode fuit injectum.

Successit enim nox aliquanto melior, nec omni somno orbata, licet rigidæ thoracis distentiones parum adhuc laxatæ essent, acresque lateris dolores, & puncturæ per intervalla acerbe lancinantes nihil quidquam fere remisissent; nec ullum consuetæ alias tussis & salutaris excreationis indicium hucusque apparuisset, nec faustum denique signum urinæ valde rubræ, limpidæ & crudæ prorsus, prodiissent: quod rem omnem

admo-

admodum ſuſpectam & periculoſæ aleæ plenam nobis omnino faciebat.

Nihilo tamen minus D. 20. integer fere dies ſine gravi oppido querimonia ægroto ducebatur, adeo ut in ſpem lætiorem ingrederetur ipſe, maximum minacis morbi periculum jamjam feliciter eſſe perfunctum: inanem autem atque ſubdolam illam fuiſſe, ſubſequuta ſtatim nox triſti ſatis eventu affatim declarabat.

Tum enim omnia adeo in pejus relapſa videbantur, ut nihil, niſi ſuprema, augurarentur adſtantium tantum non omnes unanimi certe conſenſu.

Recaluerant namque ſubito ardores febriles, lateriſque affecti dextri dolores acerrimi adeo uſque increverant, ut ſpiritus per coarctatos nimis meatus, haud ſolita laxitate diſcurrens, interceptus pene eſſet omnis, citamque omnino ſuffocationem minaretur.

Quibus malis accedebat adhuc tuſſicula intolerabilis arida, inanis & aſpera, qua nihil fere, præterquam parum ſpumoſi & ſanguine ſtriati ſputi, excreabatur, in augmentum potius dolorum, quam in eorundem levamentum.

Nec hilum ſane proficiebant fomenta, unctiones, frictiones, ptiſana, juſcula, decocta, clyſmata, aliaque id genus plura, alias ſævis doloribus compeſcendis idonea ſatis, & diuturno uſu comprobata remedia, magna tum cura & ſolertia, per ſpatioſas integræ noctis moras, aſt incaſſum applicata.

D. 21. igitur, dubia adhuc luce, ſubito accitus ego deprehendo ægrotum in ſummum vitæ ambiguæ diſcrimen adductum, facie tumida, & tetro rubore ſuffuſa, extantibus oculis, uſque ad horrorem formidinemque viſentium, ſpiritumque ingenti quidem, at inani plerumque niſu, cum ſtridore horrido, ducentem.

Omnia fervebant æſtu flagrantiſſimo, venarumque ſalientium ictus frequentes, duri, & præcipites inteſtinam ſanguinis accenſi luctam acerrimam ſatis manifeſto prodebant.

Nulla ergo interpoſita mora, ad unicam illam ſa-

tram pleuriticorum anchoram, ad venæ inquam Sectionem, confugiendum censeo, edoctus primum, ut fatear verum, his manifestioribus indiciis, hunc morbum atrocem ipsam esse pleuritin, & quidem dirissimam, pessimam, & curatu difficillimam, siccam nempe & ἀπεπτοτάτην, quam ipse Hippocrates, Galenus, Alexander Trallianus, Paulus Ægineta, & veterum omnes pro immedicabili ut plurimum, frequentiore tristi experientia admoniti, jure summo, habuerunt.

Licet igitur & ipse ægrotus ex iterata sanguinis missione plus sibi metueret, quam speraret; licet ipsa uxor ejus querula & anxia, aliique præsentes me per omnia quasi sacra efflictim rogarent, ne spiritum tenui adhuc filo pendentem intempestiva sanguinis detractione, festinatis velutis fatis, misello corpore exturbarem; durus tamen, & inexorabilis quasi, in suscepto semel consilio perstabam, nullam aliam ostendens facile nobis superesse salutis viam, nisi quæ stricto ferro aperiretur, nec alio prorsus præsidio mortem jam propinquam coerceri atque exarmari posse, nisi scalpello phlebotomo acuto, & manibus cruentis.

Quid multa? Vena mox secta in brachio dextro, sanguinisque spissi, picei quasi & combusti, vigenti tamen impetu, horizontem versus, sese ejaculati, emissæ sunt unciæ præter propter duodecim, & paullo amplius; donec ex labantibus nonnihil venis, vultusque pallore, levem animi defectionem instare conjiceremus, & æger ipse de nimio languore conquereretur.

Sanguis autem ipse simulac refrixit, largo quidem sero subflavo, solidæ & compactæ massæ ad instar, innatabat, nulla tamen crusta albida alias consueta intectus apparebat, licet in altum prosiluisset, nec perpendiculari modo lente & pedetentim emanasset, ut magnus quidem tradebat quondam Sydenhamus *c. de pleurit. p.* 292. cujus tamen singularem hac de re opinionem modeste & placide, ut decebat nempe, examinare conati sumus in ipso nostro de pleuritide Libello *cap.* 2. *& cap.* 5. *hist.* 8.

Quæret forsan nunc solicite curiosus ni fallor Lector,

ctor, qualisnam nimirum effectus tum insequutus sit ambiguam hanc & periculosam, ut primam quidem frontem videbatur, sanguinis aliquanto largius educti missionem?

Dicam itaque ingenue, neque mentiar turpiter, ita me Deus amet! Hora vix integra post istam venæ sectionem elapsa, ægrotus ipse hilari vultu, lætoque omine, nobis statim aperuit candide, dolorem istum acerrimum, hactenus in dextro pectoris latere pertinaciter fixum, nunc sese quasi sensim explicare & diffundere, versusque tergum proserpere, inprimis autem dextram scapulam adscendendo petere, ibique altius veluti impactum immanes cruciatus & puncturas sævissimas excitare: hæc enim ipsissima ejus erant verba, quibus nihil ego hic addidi, præterquam, si dicere quidem fas sit, cultum aliquem Romanum.

Quo lætissimo nuncio ex ipso percepto, eum mox bono esse animo jussi, certamque fere salutem intrepide ipsi spopondi, toties namque jamjam fida experientia edoctus, nullum pene pleuriticorum dolentem ac mœstum periisse, cui scilicet scapulæ doluissent; de quo singulari plane signo salutari, in pleuritidis decursu, semper quam diligentissime observando, uberius ac distinctius a nobis quondam actum fuit in sæpius jam allegata Commentatione de pleuritide *cap.*2. atque præsertim *cap.* 5. passim, ac diversis locis aliis.

Cæterum hic ipse dies per intervalla sat placide & tranquille agebatur: succedebat quoque respiratio multo expeditior, liberiorque facultas tussiendi, sputaque egerendi, humidiora quidem, florido tamen sanguine adhuc multum tincta. Urina ut ante itidem valde rubra, flammea, limpida, nubeculæ tamen lente assurgentis quid in fundo ostendens. Propinata sunt eadem remedia interna & externa, superius jam aliquoties laudata, additis tantum pulveribus temperantibus & nitrosis, cum sulphuris floribus.

Deficiente jam die, alvus enemate refrigeratorio blande sollicitata, commodum bis soluta est, exturbatis simul multis flatibus crepitantibus.

Nox sat placida & quieta, nec somno omni ca-

rens; inquies tamen circa auroræ exortum, ob vehementiores capitis dolores interea obortos, qui aufugerunt tamen cum volitantibus noctis umbris.

D. 22. orto jam die, largior & facilior exscreatio; sputa tamen adhuc spumosa magis, quam cocta, & sanguine plurimum colorata: urinæ ipsæ flammeæ adhuc & liquidæ; majore tamen, ac hactenus, nubecula præditæ.

Insurgebant quoque pungentes pectoris dorsique dolores, per intervalla aerius, maximo cum ægroti ipsius incommodo & sensu molestissimo.

Præscriptus tum commodum linctus noster pectoralis, *cap*. 5. *hist*. 2. libelli nostri de pleuritide, & alibi commendatus; nec calda nostra tum omissa fuit ex herbis & radicibus pectoralibus parata, per intervalla, cum melle puro sumenda, cujus descriptionem pariter in eodem tractatu tradidimus *c*. 3. *& c*. 4. Tempus enim jam videbatur justum, nimiam tussis rebellis pertinaciam tandem frangendi, sputorumque tenacem lentitudinem expugnandi, quod & auspicato successit.

Nox, licet alvus clysmate blando elota esset, inquieta tamen præter spem & opinionem, atque insomnis, ob acerrimos pectoris dorsique dolores: quibus tamen primo diluculo senescentibus, ægrotus corporis lassitudine jam fatigatus, marcentes oculos ita dimisit in soporem, ut toto veluti pectore somnum proflaret.

D. 23. hinc lætior longe rerum facies, refectis nimirum per benigna somni munera viribus: exscreatio tum liberior; sputa multa sine sanguine, facile projecta, cruda quamvis adhuc & spumosa magis, quam cocta, aut flava. Urinæ rubræ quidem, & ut hucusque liquidæ; multo tamen pallidiores ac ante, spissa insuper nubecula insignes. Venter quoque nihil admonitus, debito suo officio bis respondit. Totus hinc dies hic placidus & hilaris, sine ulla querela.

Sed ipso in noctem jam præcipiti, æstus febrilis magis recaluit cum intolerabili fere capitis dolore, soluto tamen paullo post larga sudatione feliciter sua sponte

suc-

succedente; & injecto commodum clysmate refrigeratorio, similique aridæ frontis epithemate, ex acetis quibusdam parato. Unde per integram fere noctem, somnum vidit ægrotus placidum, licet a stimulante tussi nonnunquam interpellatum.

D. 24. Urina summo mane reddita, rubella & clara; sed multum pallidior ac hactenus, cum extantiore nubecula.

Sputa quoque nunc primum cocta, flava, pinguia, & parcissimo tantum sanguine virgata, copiose egerebantur.

Sicque cuncta evidenter in melius procedebant, redeunte inprimis hoc ipso fausto die naturali ciborum appetentia, hactenus pene intermortua.

Horis tamen pomeridianis, recanduit febricula hucusque soporata, cum acerrimis capitis doloribus, & sævissimis pectoris coarctati anxietatibus, sputorumque suspectis admodum suppressionibus, ita ut hinc merito timeremus; dies enim agebatur septimus, inter spem metumque, a nobis expectatus.

Sed nos tandem circa solis obitum omni metu, siccuti ipsum ægrotum omni dolore ac periculo, liberabat largissima & saluberrima sudatio critica, qua omne ægroti corpus ubique ita quasi inundabatur, ut maderent & scaterent fœda illuvie omnia subjecta stragula, necessario hinc cum recentioribus & mundioribus permutanda.

Successit inde nox læta & quieta, cum ingenti dulcis somni cupiditate, si eadem frui semper ex voto licuisset, per importunas sæpius tussis asperioris interpellationes; qua tamen plurimum sputorum coctorum, pinguium, & flavorum, insigni cum levamine, fuit rejectum.

D. 25. Urina mane emissa nunc primum lateritia, & sedimento copioso, crasso, & ex rufo albicante, gravida, perspicue satis ostendebat nobis lætantibus, plenam ac perfectam crisin jamjam esse absolutam, morbique atrocis crudelem sævitiam a natura victrice feliciter nunc expugnatam atque obtritam.

Fidem autem plenæ victoriæ magis adhuc faciebant

ſputa, hac die incruenta plane, coċta, flava, & ingenti copia, ſine omni fere incommodo, aut pectoris dolore extuſſita.

Nec non avida cibi hactenus faſtiditi cupiditas, & ſudor præſertim criticus per univerſum corpus æqualiter diffuſus, in ſingulare ægroti ſolatium & allevamentum.

Hinc nullum amplius circa meridiem ſubdolæ febris veſtigium; hinc omnes illi acerbi capitis dolores ſemel ſimulque extincti, alias fere ſub ſolis occaſum increbeſcere ſoliti.

Nox quoque ſucceſſit placida, & ſuaviſſimo ſomno læta & amæna, tranquillior tamen omnino futura, ſi per tuſſim quaſi oblatratricem ſemper licuiſſet, quæ tamen modica potius emolita eſt cocta & matura, quam quidem multa.

D. 26. Urinæ mane vaſe exceptæ, nunc primum flavæ, citrinæ, pellucidæ, & ſanis ſimillimæ, una cum conſueta nubecula in fundo, comparuerunt; ſecuro omnino liquidoque indicio, ſuperato feliciter morbo, expectatam hactenus ſanitatem jam demum ex voto rediiſſe.

Hinc & æger hucuſque noſter hoc die, laute pranſus & de inde placide meridiatus, adeo ſeſe viribus refectum perſenſit, ut nunc primum lecto lætus exſurgere, aliquotque lentos gradus in cubiculo perficere commode valeret.

Alvus quoque ſua ſponte ſoluta, noxque ſequuta nullis plane vigiliis, aut doloribus inquietata.

D. 27. denique (hic enim finire placet) ſputa multa cocta, matura, pinguia, atque flava tuſſi mane rejecta nullo cum negotio: alvus per ſe ſui officii probe memor, ſine monitore: urinæ citrinæ, pellucidæ, ſanis prorſus ſimiles: verbo vires adeo reparatæ, ut per aliquot horas extra lectum, in ſella erectus conſidere poſſet ægrotus: unde brevi præter omnem pene ſpem atque expectationem, ad priſtinam integram ſanitatem feliciter remigravit.

Hæc igitur illa eſt hiſtoria prorſus ſingularis pleuritidis æſtivæ, & quidem atrociſſimæ, ſiccæ nimirum,

rum, ἀπεριποτάτης, καὶ ἀπτύςυ (latine enim ſcite id exprimere vetat ſermonis egeſtas, de re ipſa autem vide magni Georg. Hieronym. VVelſchi Curat. & *conſil. medicor.* 10. *decad.* 5. *p.* 276.) hiſtoria inquam iſta, nec facile alibi, hunc nempe in modum obvia, nec enarrata ſæpius, maximo ſi dicere quidem liceat ſtudio, nec minore profecto candore, a me hic fuſius deſcripta. In qua ſequentia inprimis probe notari, & memori ſemper mente reponi merentur:

I. Quarto adhuc die venam inciſam fuiſſe, cum maximo ægroti ipſius commodo, & certiſſima ſalute: huic enim ſoli opportunæ ſanguinis miſſioni ſecunda morbi difficillimi ſanatio tribuenda unice videtur.

II. Emiſſum venis ſanguinem conſueta illa pleuriticorum cruſta ſevoſa intectum haud fuiſſe; & tamen ſervatum eſſe ægrotum ipſum. Quod contra maximos cætera viros, Lanciſium, Baglivum, alioſque, ſumma tamen cum modeſtia & reverentia notandum. Qua de re videantur, ſi quidem lubet, quæ diximus quondam in Libello noſtro de pleuritide, ſæpius jam ex neceſſitate potius, quam vano inanis laudis ſtudio allegato, *cap.* 2. *& cap.* 5. *hiſt.* 9.

III. Licet omnia ambigua, dubia, atque turbata viderentur; ſeptimo tamen die plenam atque perfectam criſin affulſiſſe, qua æger a proximo mortis limine in deſuetam jam fere vitam revocaretur.

IV. Simpliciſſima, facile parabilia, domeſtica, & inemta ferme remedia huic atrociſſimo morbo debellando, uti alias, plane ſuffeciſſe, nempe aquam, hordeum, acetum, mel, oleum, & nitrum, cum herbis & radicibus quibuſdam, etiam plurimam partem domeſticis, & ante pedes natis, de quibus rurſus ſi placet vide *cap.* 2. *lib.* de Pleuritide, & præſertim *c.* 4.

Igitur ex his nunc, o boni! diſcite (ut cum grandiſono Lucano *lib.* 4. *Pharſal.* finire mihi liceat).

... Quam parvo liceat producere vitam,
Et quantum natura petat: non erigit ægros
Nobilis, ignoto diffuſus Conſule, Bacchus;
Non auro, murrhaque bibunt; ſed munere vili
Vita redit.

Re-

Resolutio hujus singularis Casus cum quadam Epicrisi.

§. I.

SIc igitur ex hac rarissima pleuritidis æstivæ historia, uberius hactenus fusiusque enarrata, abunde opinor liquet, vel in ipsis medijs torridæ æstatis ardoribus, nonnunquam tamen oriri posse ipsam sævam pleuritidem, rigido licet penetrabilique frigori alias funestos suos naturales debentem, ut supra jam monitum fuit; id vero tunc vel maxime, ubi hiems modo præcesserit aliquanto asperior, pertinacior, justoque diuturnior, qualem illam præsertim fuisse, supra commemoravimus, qua non solum an. 1739. ultra justum modum consuetumque tempus riguit, sed & ipsum adeo novum sequentis anni ver, una cum meliore adultæ jam æstatis parte, quod sane tanto magis mirandum, adhuc fœdius tristiusque torpuit.

§. II.

INde ergo nunc eo minus dubitare credo licebit, quin in iis præsertim horridioribus mundi habitabilis plagis, quæ gelida sub Arcto sitæ sunt, & illis generatim regionibus, quæ aquiloniis flatibus rigidioribus objectæ jacent, ventoque aspero & pruina frequentius tunduntur, atque hinc vel in ipsis æstivis temporibus, remissiore longe ac temperatiore æstu intepescunt potius, quam incalescunt, quoniam nempe frigidioribus auris magis perflabiles sunt, quin inquam vel in ipsa media æstate, Sirioque ardente, acrius sæpe insurgere, sæviusque dominari possint illæ ipsæ diræ pleuritides.

§. III.

HInc nuper admodum, quum hæc ipsa nostra Dissertatio typis describenda esset, e Polonia ad Dn. Præsidem nostrum scripsit nobilissimus experientissi-

tiſſimusque Archiater, D. Carolus Philippus Geſnerus, celeberrimo per orbem Patre ſuo digniſſimus filius, cujus ipſa verba, quoniam hoc noſtrum, quod jam ſub manu eſt, argumentum egregie plane illuſtrant, & validiſſime confirmant, pace quidem Dn. Præſidis mei, diu nempe ob verecundiam reluctati, hic infra referre mihi quæſo liceat:

Aurei libelli tui de Pleuritide veritatem toties ſum expertus, quoties pleuritides curandæ obtigerunt. Epidemice graſſatus eſt hic morbus in his oris primo vere anni proxime elapſi, uſque ad ſatis adultam æſtatem. Inprimis quod attinet venæ ſectionem in latere affecto inſtituendam, ita naturæ conveniunt quæ tradis, ut unica ſæpe morbum jugulet: cum contra tua præcepta ſi adminiſtretur, tribus quin, quatuor opus fuerit, quod multis experimentis probatum habeo.

Hactenus quidem præſtantiſſimus & ornatiſſimus Geſnerus.

§. IV.

EX his itaque ipſa ratio, ut equidem arbitror, jam affatim patet, cur in ejuſmodi regionibus, gelu & perpetuo pene rigore horrentibus, ex Cæli potiſſimum algentis ac nocentis intemperie, ſicque inevitabili fere neceſſitate, & aliena culpa, vel in ipſa languida præſertim tepidaque æſtate, in acutum iſtum morbum lateralem ſubito injici poſſint miſeri ſuo fato mortales.

§. V.

SEd & alia inſuper æſtiva quædam pleuritis interdum occurrit, quam ſua præſertim culpa, ex effræna ſcilicet intemperantia cæcaque inconſiderantiâ, confeſtim ſibimetipſis contrahunt incauti, & vitæ ſuæ nimium quaſi prodigi homines, quando nimirum vel perniciosiore curſu, vel frequentiore & acriore corporis exercitio, vehementius agitati fatigatique, ex imis pulmonibus anhelantes, pulvereque ac ſudore ſimul

per-

perfusi, vel calidum adhuc corpus in frigidas undas subito demittunt, vel prægelidos, aut ex injecta nive diluta, magis refrigeratos spumantesque potus, arentibus siti faucibus, juncto continuoque haustu, rapide ingerunt, ferventibusque intus visceribus uno impetu, ingenti copia, furiose infundunt: quo facto, non subitas solum pleuritides, ut sexcentos alios funestos morbos jam taceam, exortas sæpius esse; sed & subitas adeo mortes irruisse, ex innumeris fere exemplis, in solertiorum Medicorum libris & observationibus, passim hinc inde obviis, luculentissime patet. Verissimum enim sane illud est Cornelii Celsi effatum *lib.* 1. *cap.* 3. *Illud quoque nosse oportet, quod ex labore sudanti frigida potio perniciosissima est: atque etiam cum sudor remisit, itinere fatigatis inutilis. A balneo quoque venientibus Asclepiades inutilem eam judicavit.* Ubi vide plura in sequentibus: quale quid etiam legitur apud Plinium *lib.* 31. *cap.* 6. Quinctilianum Declam. 350. *pag.* 701. aliosque plures; inprimis autem apud ipsum Hippocratem *lib.* de Humidorum usu *p.* 602. *&* *Aph.* 24. *sect.* 5. locisque aliis: qua de re plenius disertiusque tractantem, si lubet quidem, videas Dn. Præsidem nostrum in Dissert. de Fame lethali ex callosa oris ventriculi angustia *pag.* 37. ante biennium hic publice habita; ubi & data commode occasione plures in istam rem auctores laudantur.

§. VI.

Æstivæ igitur ejusmodi pleuritidis ex intempestivo Balnei prægelidi usu, sive rectius abusu, subito obortæ, bina singularia prorsus, & notatu perquam digna exempla, solita fide & integritate, retulit quondam Chirurgorum sui ævi præstantissimus, Guilielmus Fabricius Hildanus, *Observat. & Curat. chirurg.* 95. *centur.* 1. *p.* 286. quæ ipsa quoniam brevia, neque præterea iste liber utilissimus omnium manibus teritur, lectorum quidem ut spes est pace, hic infra integra adscripturus sum.

§. VII.

SIc itaque ille: *Anno* 1597. *ineunte Junio Nobilis quidam in Ral, ad lacum Lemannum, Samuel Arpeau nomine, quum vehementer incaluisset, & in lacum sese refrigerandi gratia immisisset, mox febre continua & pleurisi periculosissima correptus est. Quem accersitus divino favore restitui.* Sequitur ibidem mox altera Historia, priore adhuc notabilior: *Miserabile etiam spectaculum anno* 1601. *Studiosi aliquot Lausannæ præbuerunt: qui dum in diebus canicularibus, calefacto corpore, in frigidam aquam insilirent, post lotionem in pleurisin lethalem inciderunt.* Hactenus quidem Hildanus: confer si placet B. Rivini, medici vel post funera adhuc immortalis, Differt. doctissim. de Frigoris damno, quæ est 48. Sylloges ipsius Dissertationum medic. *p.* 911.

§. VIII.

ALteram denique pleuritidis æstivæ speciem, quam sibi sæpe ex improviso consciscunt isti intemperantes potores, qui toto corpore exæstuantes adhuc & anhelantes vel gelidissimas natura sua potiones, cupido nimis haustu, trahunt, vel ex perniciabili illo more consueto *non sorbere solum nivem, sed etiam esse, & frusta ejus in scyphos dejicere solent*, ut acute ait Seneca *lib.* 4. *Quæst. nat. c.* 13. *item Epist.* 78. Istam inquam pleuritidem propria potius, quam aliena culpa contractam, ita ex laudabili sua consuetudine accuratissime descripsit, seu vivis verius coloribus quasi depinxit vir omni laude longe superior, Hermannus Boerhaave *part.* 4. *Praxeos Med. p.* 172. cujus ipsa pariter verba, notatu certe dignissima, hic repetere haud pigrabor.

§. IX.

EN igitur illa: *Est & frequentissima hujus morbi pleuritici causa, si quis maxime æstuans a labore, itinere, exercitiis &c. ita ut toto corpore fere dif-*

diffluat sudore, subito magna in copia ingerat potum frigidum; tunc enim vasa intercostalia (quæ ad OEsophagum directe sita sunt) sese statim constringunt, & humores coagulantur: vidi optimos equos intra unam horam periisse; & nobilem juvenem intra duas horas, potatis gelidis: hoc norunt illi: qui equos alunt, quando hæc animalia incaluerunt, tegunt stragulis, donec sensim frigescant; dant potandum, sed aquam calidam verum quando frigori exponuntur, paullo post pleuritici fiunt: Mox ibidem paucis interjectis: *Hæc revera est hujus morbi pleuritici frequentissima caussa in iis, qui se multum exercent, aut iis pui æstate, æstuante Cælo, longa itinera pedibus absolvunt: sed omnium maxime in operariis, bajulis, rusticis, & in omnibus illis hominibus, qui gravi & duro labore victum sibi quærunt: hinc si æstuante corpore, pro refrigerio & levamine sitis, frigidum potum ingerunt (quo fere nihil pejus corpori humano accidere potest) tunc statim ab assumto tali potu maxime horrescunt, & diro hoc morbo corripiuntur.* Hactenus quidem ille. Aliquot autem exempla ejusmodi æstivæ pleuritidis, post nimiam corporis exercitationem & exæstuationem, a gelido præsertim potu, ingenti copia repente ingesto, obortæ, relata leguntur apud Petrum Forestum *lib.* 16. *Observat. medic.* 28. *pag.* 155. *Gregor. Horstium lib.* 3. *Observat.* 10. & *Francisc. Joelem lib.* 3. *Op. med. sect.* 1. *pag.* 274. Adde Orslobii Differt. de Pleuritide §. 13. ut alios jam taceam.

§. X.

PRæsertim vero vel maxime notari, aureisque & quidem majusculis litteris, omnibus beatiorum Principum magnatumque lautis cœnaculis, splendidisque ministeriis inscribi ista quidem merentur verba, quæ ibidem *p.* 174. sequentem in modum gravissime pronunciat idem & ætate, & arte, & facundia venerabilis senex, & Hippocrates Batavorum redivivus: *Inter caussas pleuritidis remota* (immo proximas) *referri quoque potest damnabilis ille mos Magnatum & laute vi-*

viventium, qui ut luxui & voluptatibus suis magis indulgeant, aquam prius coquere jubent, ut postea infusa glacie vel nitro magis frigescat: tum potum lagenis inclusum huic aquæ immittunt, quem, postquam frigidus & fere glacialis est redditus, æstivo tempore, æstuante Cælo, avidissime ingurgitant. Quæ pessima consuetudo in caussa est, ut tot homines, quibus nimia vitæ luxuries abundat, in flore & vigore vitæ periclitentur, aut derepente extinguantur: vel si adhuc evadunt, postea miserrimam vitam trahant: hic potum frigidum corpore calido assumere, absolute damnandum, præsertim si copiosis spiritibus non abundet. Hæc ille vir maximus verissime, & sapientissime.

§. XI.

HÆc vero cuncta eum potissimum in finem in medium hactenus allata a nobis sunt, ut exinde scilicet liquidius pateat, quid medico solerti & prudenti agendum sit, ubi forsan ejusmodi ægros, æstiva quidem pleuritide subito correptos, curandos susceperit. Ne scilicet vulgari illa opinione temere inductus, aut nunquam, aut certe rarissime, in mediis æstatis caloribus, solisque candentis vaporibus, occurrere sævam pleuritidem, vel negligentia peccet nimis, vel nimia securitate, ipsumque illum morbum pleuriticum, ex isto fallaci admodum præjudicio, pro alio plane habeat morbo, ac tum ipsam suam curationem, præpostero & nocituro consilio, aliorsum dirigat, sicque sibimet ipsi ignominiam creet, ægroto vero suo aut summum vitæ discrimen, aut ipsam denique funestam mortem inducat.

§. XII.

UBicunque enim consueta alias & manifesta veræ pleuritidis signa adfuerint, febris nempe peracuta, fixus lancinansque lateris dolor, respiratio fracta, anxia, suspiriosa arduaque, pulsus durus, frequens, serratus, inæqualis & fluctuans, sputum vel cruentum

tum , vel ſtriis tantum virgiſque ſanguineis quaſi ſtinctum, aliaque ejuſmodi atrocia & ſuſpecta ſymptomata : tunc nulla plane vel fervidiſſimæ quidem æſtatis ratione habita, certiſſime tamen exinde concludat, re ipſa diram pleuritin adeſſe, atque celerrima ſibi expoſcere remedia, & artis ſalutaris præſidia, a præſtantiſſimis medicis, & ipſo quoque Dn. Præſide ſatis accurate deſcripta.

§. XIII.

PErnicioſiſſimæ enim in hoc præcipue morbo acutiſſimo ſunt occaſiones, quæ niſi raptim & tempeſtive præſenti ingentique animo captentur, tum certe plerumque evadunt pernicioſiſſimæ: momentis namque, momentis inquam valetudo & ſalus pleuriticorum conſtat; igitur gnaviter potius hic eſt laborandum, quam ignaviter diu deliberandum. Quare hic vel maxime locum habet ſuum iſtud Senecæ veriſſimum & prudentiſſimum affatum, *epiſt.* 78. *Brevis morbus ac præceps alterutrum faciet : aut extinguetur, aut extinguet* : quod ipſum dudum ante ita ſcite expreſſerat Cornelius noſter Celſus *lib.* 3. *cap.* 1. *Breves acutique morbi vel cito tollunt hominem; vel ipſi cito finiuntur.*

F I N I S.